



**Defensio thesium theologicarum de missa pontificia, et  
coenae dominicae in ea profanatione, adversus responsonem  
Henrici Ebingshausen**

<https://hdl.handle.net/1874/423061>

3

# DEFENSIO THE- SIVM THEOLOGICA- RVM DE MISSA PONTIFICIA, ET COENAE DOMINICAE IN EA PROFANA- tione, aduersus responzionem Henrici Ebings- hausen.

AVTHORE

DANIELE ARCVLARIO,  
THEOLOGIAE DOCTORE ET  
Professore in Academia Marpuri-  
gensii.

1. Corinth. ii.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis,



Marpurgi, excudebat Paulus Egenolphus. 1589.

DE FENSO THE

ANUM THEOLOGIA

ET DRAMATICOGRAPHICO

IN DEDICATORIA

AD MICHAELEM TROALARIO

PHYSIQUE DOCTORE ET

PHYSIOLOGIQUE MEDICO

ET BOTANISTAE





DEFENSIO THESIVM THEOLO-  
GICARVM DE MISSA PONTIFICIA, ET  
*Cœna Dominicæ in ea profanatione.*



Ditæ à me sunt anno superiore theses Theologicæ, quibus cùm alia superstitiones Missæ pōtificiæ, tum verò mutilatio Coenæ, *de mortuis*, inuocatio mortuorum, & liberatio animarum exigne purgatorio, è sacris literis cōfutantur. Quibus responsionem opposuit, & in Academia Moguntinensi, disputatione publica defendere conatus est M. Henricus Ebingshausen, qua crassissimos illos eretores & superstitiones, quas dixi, in tanta Euangelij luce non dubitat propugnare, argumentis non tam è Sacra Scriptura male detorra, quām scriptis patrum & inueterata aliquot seculorum consuetudine desumptis. Quæ licet eiusmodi sint, vt ad refellenda ea scriptio[n]e hac nostrâ non admodum sit opus: quòd ab aliis iamdudum solidè sint confutata (neq; enim nūc primū ab aduersariis in aciem educuntur) placuit tamen ad instruendos auditores nostros, ad quorum manus aduersarii Responsio forte peruenit, rationes illius expendere, & quid momenti haberent, examinare. Nam quòd suam de Missa doctrinam *veritatem*, nostram verò *errorem* & *mendacium* appellat, facilius ab illo dicitur, quām probatur. Simulatæ modestiæ est, quòd à refellendis exagitandis, calumnijs & conuictijs, quæ nobis tribuit, se abstinuisse scribit. Neq; enim calumnia est aut conuictum, quòd scam

*In Epistola præfixa.*

pham scapham appellans, Missam, qualis hodie Romanensibus  
in vsu est, superstitionis & idolomania plenam esse dixi. Id enim  
rationibus firmis demonstravi. Nec magni interest, suppresso  
an expresso nomine nostro, disputationem suam edere volue-  
rit: quando hic non de personis, sed rebus, id est, Christi gloria &  
legitimo Sacramenti vsu agitur. Quod argumēta mea ex Chem-  
nity Examine iam pridem à suis, vt ait, copiosè refutato, excerpta esse  
affirmat: ad rem nihil facit, ex quocunq; desumpta sint auctore,  
dummodo Scripturæ sacræ fundamento nitantur. Refutatio-  
nem verò, cuius meminit, constat nihilo firmiorem esse cā,  
quam olim preceptores ipsius, Faber & Eccius, aduersus Con-  
fessionem Augustanam consarcinārunt, quā lucem ferre non  
potuit: nisi fortè cauillari idem illi est atq; refutare. Quod si tan-  
ta est refutationis illius copia & argumentorum in ea robur, ad-  
uersarii responsione nihil opus erat *ad satisfaciendum expectatio-*  
*nī eorum, qui, vt scribit, auebat cognoscere, quid Lutherani argumen-*  
*tis Catholicus respondere posset.* Id enim ex Refutatione illa abund-  
de cognoscere poterant: quam si legerant, nec in ea acquiece-  
bant, expectatio & desiderium nouæ Responsionis vanitatem  
illius arguit. Si non legerant, ad eam saltem fuerant remitten-  
di, vt expectationi ipsorum satisficeret. Nisi fortè alia firmiora ar-  
gumenta hac responsione sua aduersarius afferre voluit: qua de-  
re nunc videbimus, sequuturi ordinem thesium nostrarum,  
quem & aduersarius in sua Responsione sequutus est: vbi pri-  
mūm pontificiorum de Missa doctrinam summātī exposui:  
tūm refutationem & argumenta, quibus Coenæ Dominicæ in  
Missa profanationem demonstrō, subieci.

In thesium nostrarum & Responis suæ collatione mihi  
Lutherani, sibi Catholici titulum tribuit. Si Lutheranum intel-  
ligit eum, qui doctrinam cœlestem à traditionum humanarum  
& pontificiæ superstitionis fermento per Lutherum repurga-  
tam amplectitur: sciat, nos nominis illius haud pudere: tametsi  
iuxta

iuxta Apostoli doctrinam malumus à Christo salutis auctore,<sup>I. Cor. 10.</sup>  
 quām ministris illius denominari. Si item Catholicum dicit  
 eum, qui errores & superstitiones pontificias Catholico multi-  
 tudinis consensu receptas, & longi temporis consuetudine con-  
 firmatas profitetur: titulum hunc illi non inuidemus. Constat  
 alioqui Catholici nomen veræ Ecclesiæ per Orbem diffusæ pro-  
 priè conuenire, Augustino teste: cuius membra eiusdem doctri-<sup>Epist. 17.</sup>  
 ne cœlestis professione, fide, ac Spiritu inter se sunt coniuncta.  
 Ita quibus nos quoq; iure censeri, doctrinæ, quam profitemur,  
 sinceras ostendit.

Descriptionem Missæ à me positam admittit, nisi quod de Thesis 1.  
 vi & effecto Missæ differens distinguit inter sacrificium cruentum in cruce peractum, & Missam, quam longè infra illud subsidiare docet, quod ad vim expiandi peccata attinet: tametsi & hanc valere ait ad expianda peccata. Atqui Scriptura sacra vim expiandi peccata vni cruento sacrificio Christi tribuit, quem vulneratum esse propter peccata nostra, solum calcasse torcular, propitiationem esse pro peccatis nostris, docet. Nefas igitur fuerit inter expiationem ita partiri, ut vel minima eius portio penes Missam resideat. Eiusdem momenti est altera illius distinctio ex tricis Scholasticorum petita, inter opus operatum & operantis: quorum huic tribuit meritum, illud sub meritum cadere negat. Nos vero aliud meritum, quo peccata expiantur, nisi mortem Christi, cum Scriptura ignoramus. Ipse si potest, è Scripturæ fontibus, non lacunis Scholasticorum, nos doceat, Sacrificulum missificantem nobilissimo hoc religionis opere, ut ipse appellat, remissionem peccatorū aliasve bona spiritualia & corporalia promereri.

Missæ priuatæ appellationem improbat. Nullam, inquit, Thesis 2.  
 Missam priuatam in Ecclesia Catholica agnoscimus: omnes publicæ sunt, omnes communes. Cur ergo Doctores vestri illas sic nominantur? verum non de nomine, sed de re nobis est certamen. Negamus publicam esse, & institutioni Christi consentaneam Coenam

Gregorius pas-  
sim in Registris  
Glossa De con-  
fess. dist. 1. ca. Et  
hoc attendendum.

administrationem, in qua solus Sacerdos communicat: id quod thesibus nostris inde à 57. vsq; ad 64. demonstramus. Rationes, quas ad confirmandam contrariam opinionem adducit, fruolæ sunt: *Quia, inquit, Sacerdos Missam celebrans, non priuatus, sed publicus Ecclesiæ minister est.* Quasi verò satis sit ad Cœnæ actionem, si à publico Ecclesiæ ministro celebretur, ita ut ipse solus vescatur. Baptismus à publico Ecclesiæ ministro dispensatur. Quis verò inde colligat, Ecclesiæ ministrum Baptismo rite defunctum esse, si seipsum baptizet: & hunc illius Baptismum alijs quoq; qui non tinguntur, salutem conferre? Quin potius ut ad Baptismum rite peragendum non solum Ecclesiæ minister Baptismum conferens, sed etiam is, cui conferatur, requiritur: sic ad Cœnæ actionem non solum verbi minister, qui illam cœi publicum bonum dispensem, sed etiam Ecclesia, cui dispensem, requiritur, idq; eo modo, quem Christus sanxit, id est, ut minister distribuat, Ecclesia participet.

Quòd ait, *Ecclesiæ ministrum in sacrificio Missæ personam Christi sustinere*, haec tenus concedo, quatenus id facit in Cœna, quod Christus fecit. Christus autem in Cœna non sacrificauit vel obtulit semetipsum Deo, sed corpus suum manducandum, & sanguinem bibendum discipulis dedit: atq; hi ea, quæ Christus dedit, manducarunt & biberunt, ut Euangelistæ testantur. Quo nihil magis solitariae isti sacerdotis communicationi aduersatur. Porro vtrum Sacerdos in Missa pro omnium fidelium viuorum & defunctorum salute Deo sacrificium offerat, ut aduersarius hoc loco asserit: de hoc infra videbimus. Quòd deniq; populum Missæ spectatorem spiritualiter saltem communicare ait, negamus spiritualem hanc communicationem satis esse ad Cœnam ex Christi præscripto celebrandam: quippe quæ externa quoque communicatione constat. Vtramq; enim Christus in Cœnæ actione, ut ea nobis sit salutaris, coniungit, dum iubet accipere, manducare, & bibere: item, hoc facere ad suirecordationem. Et Apostolus

Apostolus panem fractum communicationem esse ait corporis Christi: sed de participatione disertè addit: ex uno pane, inquit, participamus. Participando igitur, non spectando, populus instituto Christi satisfacit. Nec deesset officio suo populus in Sacramento hoc crebriùs participando, si de legitimo eius usu è Scriptura doceretur. Imò si cessator esset in officio suo populus: omittenda potius erat eiusmodi Missa, in qua præter Sacerdotem nemo communicat, quam Christi institutio violada. Neq; enim populi negligentiae institutio Christi cedere debet. Nam quod de sacrificio addit, illud vel absq; Sacramenti distributione constare posse: suo loco examinabimus.

Discrimen expono inter Sacerdotis & populi communicationem, quorum ille utramq; Sacramenti partem, panem & calicem, hic verò unam duntaxat, nempe panem sumit: ubi cauillatur aduersarius in appellatione panis & calicis vel vini, negatq; vel Sacerdotem vel populum panem & vinum in Missa accipere, quòd peracta consecratione, panis & vinum esse desinant. Ineptus igitur & ~~āwēbōy~~ fuerit Paulus, qui non minùs post quam ante recitationem verborum Coenæ panis & poculi appellationibus usus fuit, ignarus videlicet consecrationis vestre & transmutationis: de qua infrà suo loco, ubi & illud disquiremus, utrum Sacerdos & populus corpus & sanguinem Christi, ille sub utraq; hic verò sub una specie tantum, in Missa percipiatur, quod aduersarius hīc affirmat. Quod fatetur, in Cœna Lutherana, quam appellat, tam ministrum quam populum utrumq; Sacramenti elementum sumere, si de solo pane & vino intelligit, negamus: nisi è Scriptura doceat, ubi Cœna ex præscripto Christi administratur, illuc præter panem & vinum nihil reliquum esse. Credimus enim & docemus veram corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam & participationem, & à dogmate eorum, qui diuersum tradunt, nos dissentire profitemur.

De Missis, quas in honorem & memoriam sanctorum ab illis

*1. Corin. 10.*

*1. Cor. 10. & 11.*

Thes 3.

Thes 4.

illis diximus celebrati: respondet *Missas à Sacerdotibus suis celebri non sanctis, sed soli Deo in honorem & memoriam sanctorum.* Ecquis verò eum Cœnæ Dominicæ finem & usum docuit, vt in honorem & memoriam sanctorum illa celebretur? Christus certè in sui memoriam coenam vult celebrari. Et Paulus in eis nos mortem Domini annunciatū iubet, vbi nulla sit mentio sanctorum. Locus Augustini, quem citas, usq; adeò tibi non patrocinatur, vt pro nobis potius faciat. Cum enim veteri Ecclesiæ more receptum esset, vt in actione Cœnæ nomina martyrum recitarentur, ad commendandas populo virtutes illorum: de hac sanctorum commemoratione loquitur Augustinus, ac disertè negat illos à Sacerdote inuocari. Aduersarij verò Missas in honorem sanctorum celebrant, ad imploranda ipsorum patrocinia, & intercessionem corundem apud Deum obtinēdam. Deinde negat ibidem Augustinus, fideles id temporis martyribus vel templo condidisse, vel aras extruxisse. At sub papatu utrunc; & factum esse & fieri constat.

Thes. 5.

In recitanda Pontificiorum de Missæ reliquijs sententia diximus, panem vel extra Missæ actionem esse & permanere corpus Christi: vbi Antagonista denuò cauillatur in voce panis, & loquitionem illam ceu falsam auersatur, qua panis esse & permanere dicatur corpus Christi: quod peracta consecratione, panis ut naturam, ita nomen suum amittat, ac solum speciem retineat panis. Verum vt demus, quod ille de panis in corpus Christi conuersione fingit: num idcirco panis appellatio fuerit improbanda, qua Paulum usum fuisse modò diximus? Appellatur saltē panis eo sensu, quo ipsi Paulum interpretari solent, dum fingunt, panem ab illo dici, quia ante consecrationem panis fuerit, & peracta consecratione, speciem & accidentia panis retineat, vt aduersarius ipse hoc loco asserit. Et Cyprianus ita loquitur, *Christus obtulit*, inquit, *Deo patri non aquam solum, sed unum aqua mixtum in calice.* Sancte non aliud hac thesi exprimere voluimus,

De calice Do-  
minico sanctif.

voluimus, quām quod aduersarij docent, panem in Missæ actione  
 in corpus Christi mutatum, etiam post actionem illam esse  
 & permanere corpus Christi. Si de sententia constat: Sophisti-  
 cum est de verbis litigare. Quod verò addit, *ad salvator* esse, ut panis  
 sit corpus Christi, nisi in substantiam corporis Christi conuer-  
 tatur: negamus conuersionem hanc necessariò consequi. Ut  
 enim de Christo verè dico, hominem esse Deum, propter per-  
 sonalem naturarum vniōnem, absq; vlla earundem conuer-  
 sione: sic panis est & dicitur corpus Christi, propter Sacramen-  
 talem illius cum corpore Christivnionem, absq; omni natura-  
 rum mutatione. Ac quamuis à Philosophorum Logica alie-  
 num sit hoc enunciationum genus: in diuinis tamen literis non  
 infrequens est, ut propter duarum rerum coniunctionem vna  
 de altera dicatur, absq; vlla rerum, quæ vniuntur, confusione  
 vel substantiarum conuersione. Ut de flatu externo, quem dis-  
 cipulis aspirabat Christus, verè prædicatur Spiritus sanctus. Et Iohann. 20.  
 de arca subleuata & loco mota Moses: Surge, inquit, Domine,  
 & dissipentur inimici tui. Idem de eadem reposita: Reuertere, Num. 10.  
 inquit, Domine ad multitudinem Israël. Vbi non est necesse vel  
 ad Tropicas vel identicas configere prædicationes.

Quod porrò de mutatione panis hoc loco attingit, quem  
 ait virtute verborum diuinorum in corpus Christi ita conuerti, ut so-  
 la eius remaneant accidentia: id suo loco excutiemus, ubi aduersarij  
 argumenta examinanda erunt, quibus Transubstantiationis  
 dogma stabilire conatur. Nunc quæ de asseruandis Missæ reli-  
 quijs ex Antiquitate profert, Eucharistiam asseruatam fuisse pro in-  
 firmis, à fidelibus domum deportatam, pro symbolo communionis Episcopis  
 ad urbem venientibus missam: ex quibus infert, corpus Christi  
 extra actionem Cœnæ permanere: ad ea paucis responde-  
 mus cum Cypriano, non attendendum esse, quid aliquis ante  
 nos faciendum putauerit, sed quid Christus, qui ante omnes est,  
 Prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequendam

B                    esse,

Cyprian. lib. 2.  
Epist. 3. ad Cecili-  
anum de Sacra-  
mento calicis.

esse, sed Dei veritatem. De afferuatione autem Coenæ neque præceptum Christi, nec Apostolorum exemplum extat. Ac consuetudini illi aliam contrariam ex eadem Antiquitate opponimus. Non enim defuerunt, qui afferuationem illam improbarunt. Origenes: *Dominus, inquit, panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis, Accipite & manducate, non distulit, nec feruari iussit in crastinum.* Et Clemens primus Apostolis: *Tanta, inquit, in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserit, in crastinum non reserueretur, sed cum timore & tremore, clericorum & diligentia consumantur.* Hesychius: *vidimus, inquit, in Ecclesia igni tradi quaecunque remanere contigerit inconsumpta.* Quid? quod in Concilio Toletano primo, itemq; Cæsaraugustano inter cætera decretum legimus, ut Eucharistia à Sacerdote sumpta, in coetu sacro consumatur. Viderunt nimirum, illam Eucharistiaæ afferuationem instituto Christi haud esse consentaneam, ac proinde abrogandam duxerunt.

## Thesis 6.

Quod circumgestationem Sacramenti valere ait *non solum ad excitandam populi devotionem, amplificandamq; Christi gloriam, sed etiam ad dinimum numen conciliandum:* malè scilicet consuluerunt Apostoli vel Christigloriae, vel Ecclesiæ saluti, qui de hac circumgestatione nihil præceperunt. Quin etiam successores illorum Episcopi suo defuerunt officio, qui tot seculis hanc circumgestationis vim & usum non viderunt: donec tandem Urbanus quartus circiter annum Christi 1260. peculiarem festiuitatem Sacramenti huins venerationi consecraret, idq; de consilio mulierculæ cuiusdam. In qua ceremonia etiamsi nihil inesset superstitionis, quæ ista est Concilij Tridentini tyrannis, propter traditionem humanam Ecclesiæ damnare? Et quæ Scriptura istam conciliandi numinis rationem docet, contumeliosam in sanguinem Christi, qui unus Deum patrem nobis reconciliasse dicitur? Neq; quicquam huc facit Arcæ circumgestatio, qua illam Sacramenti circumgestationem adumbratam suisse:

In Leuit.  
Homil. 5.De Consecr.  
Diffin. 2.  
Cap. Tribus.In cap. 8. Leuit.  
lib. 2.Concill. Tolet.  
Can. 14.  
Cæsaraug. c. 3.

S. eff. 5. Cap. 6.

Colof. 1.  
2. Timoth. 2.  
2. Cor. 5.

fuisse ait. Etsi enim Ceremonia Leuitica partim Christum eiusq; officium, partim spiritualem Dei cultum à fidelibus in nouo Testamento præstandum præfigurârunt: haec tamen tamen typorum illorum explicatio admittitur, quatenus illustribus noui Testamenti Scripturæ testimoniis confirmatur. De circumgestatione autem Sacrameti, per arcæ circumgestationem præfiguratâ, Scriptura noui Testamenti nihil tradit. Quid? quod non omnis circumgestatio arcæ olim Deo probata fuit: quemadmodum ex iisdem, quos aduersarius ad stabiliendam sententiam suam in margine annotauit, locis patet. Neq; enim Deo placuit factum illud Hebræorum, qui ad debellandos Philistæos <sup>1. Samuel. 4.</sup>, arcam foederis in castra adducendam curârunt, cuius rei neque mandatum habuerunt, nec promissionem. Vnde tantum abest, ut hæc arcæ circumgestatio illis profuerit ad cœciliandum numen, vt potius obsuerit: quando non solum cœsi fuerunt, sed arca quoq; ipsa in hostium potestatem venit. Similiter errore non earuit factum Dauidis, qui arcam domum suam adducturus <sup>2. Samuel. 6. Num. 4.</sup> eam plaustro imposuit: cum ex legis præscripto à Leuitis gestari non plaustro vehi debuerit. Vnde vectura illa quoq; infeliciter cessit, dum Vza vacillantem explaustri motu arcam subleuatus, morte multatur. Ex quibus apparet, quid Deo placeant cultus humano consilio & bonâ, ut loquuntur, intentione absque verbo Dei suscepiti: ut his locis Sacramenti circumgestatio refellatur potius, quam confirmetur.

Christum Deum & hominem adorandum esse, nemo nostrum est, qui inficietur. At panem pro Christi corpore adorare, <sup>ἀρτολατρεῖαν</sup> esse dicimus omnibus pijs fugiendam, ne (quod Apostolus in gentibus damnat) creaturam loco creatoris colamus. Quod quidem tantisper ascrimus, dum aduersarius suam illam panis in corpus Christi conuersionem è Scriptura demonstrat.

Missam dixi horrendam esse Coenæ Dominicæ profana. Thesis 7.

tionem plenam superstitionis & idolomania: id quod in sequentibus thesibus demonstro. Aduersarius vero illud in Cœnam nostram retorquens, eius ministros ait esse profanos & laicos, qui nullum ius habeant administranda Cœna sacra, ac proinde profanum duntaxat panem communicantibus porrigitur. At quo iure potestatem docendi & administrandi Sacraenta derogat iis, qui ab Ecclesia legitimè sunt vocati? An quia ab Episcopis ipsius neq; ras sunt neq; uncti? Atqui hoc pacto neq; Apostoli neq; veteris Ecclesiae ministri ius habuissent & potestatem vel docendi vel Sacraenta administrandi, ut quibus vincetio illa & rasura fuerunt ignotæ: ac proinde hi quoq; in ordinem laicorum & profanorum fuerint redigendi. Porro constat ius vocandi & eligendi ministros verbi esse penes Ecclesiam, vel Cypriano teste: quo nomine intelligimus non clerum pontificium, id est, præfules & sacrificulos rasos & vinculos: sed coetum eorum, qui sincerum Dei verbum & legitimum Sacramentorum usum amplectuntur. A qua Ecclesia cum apud nos verbi ministri, præeunte doctrinæ & morum inquisitione, vocentur: quis negat legitimum esse illorum ministerium, eosue quoties Cœnam ex Christi præscripto celebrant, merum distribuere panem affirmet?

A quo ministerio diuersum quandam ordinem Sacerdotum pontificij singunt, quorum munus sit in Missa corpus Christi ostendre pro peccatis viuorum & mortuorum. Quam sumam esse dicimus Cœnae Dominicæ profanationem, plenam superstitionis & idolomania: quemadmodum ex subiectis thesibus nostris patet, quarum argumenta, quam dextre refutauerit aduersarius, age videamus.

Primum argumentum, quo Cœnae Dominicæ in Missa profanationem confirmavi, à diuersa Sacramenti & Sacrificij natura seu forma sumitur. Nam Cœna Sacramentum dixi ab aduersariis perperam in Sacrificium transformari, actionem videlicet

Videlicet toto genere diuersam. Antagonista verò id negat. Sed  
 Vtrumq; ait in coena coniungi, Sacrificium & Sacramentum.  
 Nam vnam, eandemq; rem in hoc diuino mysterio secundum duas ra-  
 tiones formales distinctas (vtrorū ipsius verbis) vtramq; accipere no-  
 mendaturam. Atqui de sua cuiusq; Sacramenti forma ex institu-  
 tione est iudicandum, quam vnam, non geminam, in hoc Eu-  
 charistiae mysterio deprehendimus, quæ in distribuendo, man-  
 du dando, & bibendo consistit. Sacrificii formam, *qua corpus Christi*  
*sub signis visibilibus Deo offeratur*, verba institutionis non do-  
 cent. Nam quod vtrumq; & Sacramentum & Sacrificium, his  
 Christi verbis, *Hoc facite in mei commemorationem*, aduersarius  
 contineri ait: negamus faciendi verbo Sacrificium à Christo  
 fuisse designatum: sed ad præcedentem actionem hæc verba di-  
 cimus esse referenda, vt discipuli iubeantur in celebranda Cœ-  
 na id facere, quod Christum viderant in prima Cœna fecisse: id  
 est, panem & vinum benedictum distribuere ad manducandum  
 & bibendum, idq; in mortis Dominicæ memoriam. Neque  
 enim Christum legimus corpus suum in Cœna sacrificasse.  
 Quam sententiam nostram Apostolus, optimus verborum Chri-  
 sti interpres confirmat, qui de poculo disserēs: *Hoc facite*, inquit,  
*Quotiescumq; biberitis in mei commemorationem*. Et de tota actione:  
*Quotiescumq; inquit, comederitis panem hunc, & de poculo biberitis,*  
*mortem Domini annunciatibitis, donec veniat*. Quibus verbis disser-  
 te, quid Christus in Cœna nos facere iulserit, declarat. Pontifi-  
 ci velò omissis iis, quæ Christus in Cœna disertè facere iussit,  
 velut utriusq; partis Cœnæ distributione, & mortis Dominicæ  
 annunciatione, ea faciunt, quæ Christum neq; fecisse, nec præ-  
 cepisse legimus. Quo nihil magis præposterum atq; peruersum.  
 Et quid de Sacramenti forma reliqui facinnt in Missis suis soli-  
 tariis, ubi nulla sit distributio, nulla sumptio, saltem populi re-  
 spectu, nulla mortis Dominicæ annunciatio? Quas quidem Mis-  
 sas constat non tam Sacramenti, quam Sacrificii nomine ab  
 illis commendari.

An Cœna sit sa-  
 crificium, quale  
 pontifici asse-  
 runt.

Thes. p. &amp; 10.

Luc. 22.

Ex Coenæ descriptione, quæ apud Euangelistas & Paulum extat, docui, Coenam non esse Sacrificium, cuius ne vestigium quidem in narrationibus ipsorum appareat. Quibus Antagonista narrationem Lucæ opponit, Pascha cum Cœnæ descriptione coniungentis: ac quod Lucas de Paschate iudaico refert, id noster ad Coenam detorquet: velut quod Christus discipulis aiebat, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Quæ verba aduersarii de Eucharistia exponenda esse ait, atq; ex eis colligit, ut olim agnus Paschalidis immolatus fuerit, Sic Christum, cuius agnus ille typum gessit, in Cœna corpus & sanguinem suum Deo patri obtulisse. Respondeo, esse paralogismum compositionis & diuisionis. Nam duo diversi actus à Luca commemorantur: Primum quemadmodum instantे azymorum die, quo necesse erat immolari Pascha, Christus duos è discipulis ablegārit ad parandum Pascha. Quo parato, Christum narrat cum discipulis accubuisse, & de suo vescendi Paschatis illius desiderio discipulis testificatum fuisse. Ut enim sc̄ nostra causa legi subiecit, sic ritum quoque agni Paschalidis celebrare voluit: idque tunc postremum, imminentē videlicet passionis tempore, quo typus ille suum habiturus erat complementum. Quæ causa fuit, cur tanto cum discipulis vescendi agni illius desiderio teneretur: quòd mortem iam obiturus re & factō præstare decreuisset, quod agnus ille hactenus adumbrasset. Eodem pertinet, quod de poculo subjicit Lucas, quod acceptum Christus, gratiis actis, discipulos iussit inter se distribuere. Quo poculo velut colophonē veteri Paschati imposuit. Quam actionem deinde sequitur institutio Cœnæ sacræ: ubi Lucas refert, Christum acceptum panem, cùm gratias egisset, fregisse & dedisse discipulis, &c. Similiter & poculum distribuisse &c. Etsi enim coniunctæ fuerunt hæ Christi actiones, ceremonia agni Paschalidis, & institutio Cœnæ: non sunt tamen inter se confundendæ. Cumq; Lucas duplicitis poculi faciat mentionem, prius illud ad

illud ad ceremoniam agni Paschalis, posterius ad Cœnæ actionem est referendum. Alioqui in Cœna sacra nobis gemino poculo esset vtendum: uno ante sumptionem panis, altero post eam: quod absurdum esse, quis non videt?

Porrò mastationem immolationemque Agni Paschalis in Christo impletam fuisse, nō in Cœna, sed in cruce, quo tempore Christus mortem obiit ad expianda peccata nostra, Scriptura testatur, dum Christum vocat agnum Dei tollentem peccata mundi. Et Petrus ait, Christum tulisse peccata nostra in corpore suo super lignum. Ac quod Moses de Agno Paschali refert, *Os non comminuetis ex eo*: id Iohannes disertè in Christo in crucem suffixo impletum esse testatur. Mastatio igitur & immolatio Christi facta est in cruce, māducatio verò fit in Cœna.

Ad patrum testimonia quod attinet, quæ aduersarij hoc loco citat, & quibus probare conatur, Christum in prima Cœna corpus & sanguinem suum Dco patri obtulisse: nihil hæc illi suffragantur. Nam quod ex Tertulliano affert, *Christum professum se concupisse edere Pascha, ut suum*: de veteri Paschate loquitur, quod suum Christus appellat, quia typus seu umbra ipsius fuit, cuius veritas & complementum in Christo extabat. Et vt dicimus, id nomen ad Cœnam quoq; referri posse, quatenus videlicet Christus per Agnum Paschalem ad umbratus in Cœna māducatur: immolatio tamē & oblatio corporis & sanguinis Christi, non in Cœna, sed cruce facta est, sicut modò ostendimus. Ceterū quo sensu patres Cœnam appellārint sacrificium, & Christum in ea dixerint immolari, infrà thesi 17. explicabitur.

Quod ex loco Paulino ratiocinatur, vt olim Iudæi & gen. *1. Corinth. 10.* tes sua habuerunt sacrificia, quæ priūs in aris obtulerunt, quam participarunt: Sic in Cœna corpus Christi primū offertum esse, tūm quoq; participandum: respondeo, per mensas illic Apostolum designare non aras, in quibus Sacrificia offerabantur, sed solennes illas epulas & conuinia, quæ tum Iudæi tum gen-

Iohan. 1.  
1. Pet. 2.  
Num. 9.  
Iohan. 19.

Lib. 4. in Mathe-  
tion.

tum gentes, facto sacro, de victimarum reliquiis instruete solebant, & ad quæ Christiani quoque à gentibus invitabantur. De quibus conuiuiis Corinthii fideles Apostolo mouerant quæstionem, anné iis interesse liceret. Nam de sacris ipsis gentilium & aris idolorum nemo fidelium ambigebat, sibi nefas esse, ea adire. De conuiuiis igitur illis Apostolus respondet, et si per se non sit illicitum ea accedere, vitandi tamen offendiculi causa ab illis abstinentiam esse: eoq; magis, quod illa epularum communicationem quādam Sacrificiorum gentilium & idolo!atriæ cōmunicationem secum trahere videatur. Ut igitur in conuiuiis illis seu mensis nulla offrebantur Sacrificia, sed de Sacrificiis pridem oblatis conuiuae participabant seu comedebant: Sic in Cœna non est necesse Christi corpus offerri, sed eo iam olim in cruce oblato, nunc vescimur. Ex quo apparet, optimè constare Apostoli comparationem, etiam si corpus & sanguis Christi in Cœna Deo non offerantur.

Thef. u. & 12.

Ex eadem Euangelistarum narratione, qua Cœnam sacram describunt, probauit, Cœnam non esse Sacrificium: quia Christus iusserit discipulos ea, quæ in Cœna dabat, accipere. Accipite, inquit, comedite: *Hoc est corpus meum.* Et de poculo, Bibite, inquit, *hic est sanguis meus.* Ab alio autem accipere, comedere & bibere, non sit Deo offerre. In quo argumento eludendo mirabilem Sophistam agit aduersarius. Primum enim quæ Euangelistæ de Cœna narrant, ea ille ad agnum Paschalem refert. *Inbet quidem discipulos, inquit, ea quæ dabat, nempe CARNES AGNI PASCHALIS in Eucharistia accipere: sed non antè dabat eas, quam Deo essent oblatæ.* Quis vñquam fando audiuit, Christum, cùm Cœnam institueret sacram, discipulis carnes Agni Paschalis dedisse, easq; vt acciperent, iussisse, tūm de eis pronunciasse, esse corpus suum? Quasi ex Euangelistarum narratione obscurum sit, quid Christus discipulis dederit, cùm dicaret: *Accipite, comedite: Hoc est corpus meum.* Sic enim Lucas, *Et accepto pane, inquit,*

¶ Mit, cum gratias egisset, fregit ac dedit eis, dicens: *Hoc est corpus meum, &c.* vbi nulla sit mentio carnium Agni Paschalis aut immolationis in Coena factæ. Vnde D. Heronimus, postquam, inquit, typicum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis come-<sup>In Matth. cap.</sup>  
derat: assunxit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Pascha<sup>26.</sup>  
transgreditur Sacramentum. Quod autem ex his Christi verbis,  
Quod pro vobis datur, aduersarius concludit, Christi corpus in  
Coena pro discipulis suis deo oblatum: respondeo, de obla-  
tione quæ postridie in cruce facta est, hæc verba esse accipienda,  
quæ illustrem continent descriptionem eius corporis, quod  
Christus in Coena discipulis dabat, nempe id ipsum, quod po-  
stridie in cruce pro nobis in mortem erat daturus. Est enim non  
infrequens in Scripturis illa temporis enallage, præsentis aut  
præteriti pro futuro. Ego pono animam meam pro omnibus meis.<sup>Iohan. 10.</sup>  
Væ homini illi, per quem filius hominis proditus. Filius homi-<sup>Matth. 26.</sup>  
nist traditur in manus peccatorum. Nec abs re ita loquitur Chri-  
stus, ut qui iam esset in procinctu passionis postridie in cruce per  
mortem perficiendæ.

Idem iudicium est de calice, qui non solum nouum Te-  
famentum in Christi sanguine, sed etiam (ut apud Lucam Graeca  
verba habent) pro nobis effusus dicitur. Ex quo aduersarius arguta-  
tur, calicem in Cana pro nobis immolatum esse. Quomodo, inquit, in  
Coena incruenta ante passionem, calix effusus est pro nobis, si non est  
immolatus? Quasi vero Lucas his verbis diuersum quiddam à ca-  
teris Euangelistis docere, nec potius eandem cum illis senten-  
tiā, commutatis non nihil verbis, exprimere voluerit. Quod  
enī cæteri sanguini, hoc ille calici tribuit, propter Sacramenta-  
lem sanguinis cum calice vel vino unionem. Nec tamē villa  
hinc sequitur sanguinis Christi in Coena facta vel effusio vel ob-  
latio, quæ demum in passione & cruce contigit. Quod quidem  
vel ex ipso Canone Missæ aduersarius discere poterat, ubi fun-  
dendi verbum non in præsenti, sed futuro tempore legitur. Et

qui, quæso, incruenta Cœna dicetur, si in ea Christi sanguis effusus est & immolatus?

*1 Corin. II.*

Nec immolationi huic quicquam suffragatur frangendi verbum, quo Paulus est vsus, qui Christi verba sic recitat: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Respicit enim Paulus ad præsentem Cœnae actionem, id est, eam quæ in Cœna fit, corporis Christi distributionem, quæ Hebraëis frangendi verbo nötatur. Cumq; idem sit Christi corpus, & quod in cruce oblatum fuit, & quod in Cœna distribuitur: nihil est dissidij inter Paulum & cæteros Euangelistas. Et vt demus, frangendi verbum apud Paulum immolationem designare: ex eo tamen non consequitur, in Cœna corpus Christi immolatum fuisse, cum Scriptura disertè affirmet, immolationem illam in cruce factam esse.

Ad Gregorij Nysseni testimonium, hoc loco ab aduersario citatum, quod attinet, non negamus, Patres uspiam de Cœna minùs propriè loquutos esse, atque etiam fortasse minùs rectè sensisse, dum in ea corpus & sanguinem Christi Deo offerri dicunt. Nec vero nos patrum lucubrations pro Scripturis Canonice consideramus, sicut de Cypriani libris Augustinus ait, & ipse de suis idem nobis iudicium permittit. Cum igitur Scriptura immolationem corporis & sanguinis Christi in passionē & cruce factam esse disertè affirmet: ineptè illa ad Cœnam transfertur.

*Thef. 13. & 14.*

Cœnam non esse sacrificium, alio arguento confirmari à fine & vsu Sacramentorum sumpto: quod Sacra menta tum organa sint, per quæ Dominus bona promissa nobis offert, tum pignora obsignandæ promissioni Sacramentis annexæ destinata: in Sacrificijs vero nos Deo aliquid offeramus. Respondet aduersarius, *me frustra litigare de discrimine Sacramenti & Sacrificij,* quod Cœna diuerso respectu & sacrificium dicatur & Sacramentum. Atqui suprà ostendi, actiones sacras ex sua quamq; forma verbo Dei definita æstimandas esse & denominandas: à Cœna vero alienam

*Contra Cres-  
conium.  
Epist. III.*

alienam esse eam sacrificij formam, quam Pontificii de Missa  
 sua tradunt. Porro quod dixi, promissionem gratiae Sacramen-  
 tis contineri; *in eo me non parum hallucinari aduersarius ait.* Neg-  
 enim, inquit, *Sacmenta ipsa promittunt vel offerunt gratiam, sed*  
*visua eam efficiunt.* Imò verissimum est, quod dixi, promissio-  
 nem gratiae Sacramentis contineri, quippe quæ velut anima &  
 vita est Sacmentorum, adeò ut si ead sit, Sacmenta nulla  
 censcantur. Quis enim ignorat promissionem Baptismo anne-  
 xam: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit?* illam item <sup>Mar. 16.</sup>  
 coenæ: *Quod (corpus) pro vobis traditur? Qui (sanguis) pro vobis* <sup>Matth. 26.</sup>  
*effunditur in remissionem peccatorum?* Ab hac promissione dico  
 vim omnem & usum salutarem Sacmentorum pendere &  
 prouenire iis, qui fide eam apprehendunt. Itaq; Dei promitten-  
 ti respectu Sacmenta gratiam offerunt, nec minus per illa,  
 quam per verbi ministerium Spiritus sanctus est efficax. Sic  
 Christus mundasse Ecclesiam dicitur lauacio aquæ in verbo. <sup>Ephes. 5.</sup>  
 Item: Nisi quis renatus fuerit, inquit, ex aqua & Spiritu, non po-  
 test introire in regnum Dei. Vbi tamen semper distinguendum  
 esse docemus inter Deum ipsum gratiae auctorem, & instrumen-  
 tum, id est, Sacmenta, per quæ gratiam illam Dominus offert,  
 & fidelibus applicat. Qua de re præclarè Augustinus: *Dominus di-* <sup>In Lœvit. quæst.</sup>  
*tit, inquit, ego sanctificabo Aaronom.* Et Moysi dicit: *Sanctificabis* <sup>84.</sup>  
*eum.* Quomodo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus? Non enim  
 Moyses pro Domino: Sed Moyses visibilibus Sacmentis per ministe-  
 riū suū: *Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum sanctum,*  
*vbi est totus fructus & omnis utilitas visibilium Sacramentorum.*  
 Ac viderit aduersarius, qui illud ceu falsò à me dictum repre-  
 hendit, Sacmentis gratiam cointineri: quomodo hæc illius cen-  
 sura cum decreto Concilij Tridentini consentiat, quo disertè  
 damnantur, qui *Sacmenta nouæ legis gratiam continere aut con-* <sup>Seff. 7.</sup>  
*ferre negant:* quorum utrumq; nos suo modo rectè dici concedi-<sup>Can. 6.</sup>  
 mus, sicut iam explicauimus.

In eo autem aduersarius ipse non parum hallucinatur, qui *Sacramenta vi sua gratiam efficere ait, id est, ut Scholastici docent, ex opere operato, sine bono motu, salutem conferre ei, qui illis vtitur.* Fingunt enim externis Sacramentorum ritibus per se in-  
eise arcanam quandam vim ex verbis consecrationis conce-  
ptam, quam illa in quibuscumq; hominibus vel omni Dei ti-  
more ac fide vactis exerant. Atqui cum promissionis Sacra-  
mentis annexae & fidei mutua sit relatio: constat Sacramenta  
absq; fide percepta nihil prodesset. *Qui enim crediderit, & bapti-  
zatus fuerit, saluus erit.* Et de Coena Apostolus: *prober autem se ho-  
mo, inquit, & sic de pane illo edat.* Quare Augustinus: unde, inquit,  
*ista tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente  
verbō, non quia dicitur, sed quia creditur.* Ex quo similius apparet,  
non excludi promissionem, cum Augustinus dicit: *Accedit ver-  
bum ad elementum, & sit Sacramentum.* Vbi per verbum Augusti-  
nus intelligit non quoduis verbum Sacrificuli murmur, Mago-  
rum instar, mussitatum, sed verbum institutionis complectens  
& certam actionis formam seu ceremoniam a Christo praescri-  
ptam atq; mandatam, & promissionem gratiae Ceremonia illi  
annexam: contrà quam aduersarius opinatur.

Id quoq; inepte à me dici asserit, in Sacramentis pignora-  
seu Sigilla promissioni annexi: *cum potius, inquit, promissio diui-  
na sigillum annexat Sacramentis.* Mirabilis sane metamorphosis.  
Modò negauerat, quod dixeram, promissionem gratiae Sacra-  
mentis contineri, seu, ut ipse loquitur, *Sacramenta promittere vel  
offerre gratiam.* Nunc sui quasi oblitus promissionem partem fa-  
cit Sacramentorum, *ut que horum sit sigillum.* Porro quid est dil-  
pensationis diuinæ ordinem inuertere, si hoc non est? Neque  
enim promissio Sacramenta, sed Sacramenta promissionem  
obsignant. Vnde circumcisio dicitur *sigillis instituæ fidci.* Et Au-  
gustinus Sacramenta inuisibilis gratiae signa definit. Nam quod  
aduersarius ait, *fideles ideo ad suscipienda Sacramenta accedere, quod  
verbo*

Mar. 16.

1. Cor. II.

In Iohan.  
Tract. 80.In Iohan.  
Homil. 13.

Rom. 4.

verbo Dei vel promissione diuine credant: adeò non tollit hunc ob-signandi usum Sacramentis propriū, ut potius confirmet. Cūna  
enim fides nostra variis temptationum machinis oppugnetur &  
labcfactetur: ad erigendam & fulciendam eam Deus Sacra-  
menta instituit. Qua in re singularis Dei bonitas relucet, qui imbe-  
cillitatis nostræ rationem habet, dum non nudis verbis ac pro-  
missionibus nobiscum agit, sed signa quoq; externa in oculos  
incurrentia promissioni adiungit. Itaq; non longè à blasphemia  
abest, quod aduersarius hunc Dei ordinem oblique suggillans,  
*non aliud sigillum certius esse ait ipso Dei verbo:* perinde quasi Sacra-  
menta, quod ad obsignandi vim attinet, fidelibus sint ociosæ.  
Ac sane Dei promittentis respectu Sacramentis nihil opus fo-  
ret, qui cū verax sit, certò praefstat, quod promittit: verū ad  
sublevandam carnis nostræ infirmitatem nos adminiculis illis  
indigemus. *Quis enim dixerit vel circumcisionem Abrahamo,*  
vel Baptismum Eunicho itemq; Cornelio ociosum fuisse & in-  
utilern, posteaquam crediderunt? Et quænam est illa fides pro-  
missionis diuinæ, quam in usu Sacramentorum fidelibus tri-  
buis: cū gregales tui doceant, de gratia Dei semper nobis esse  
dubitandum, ac superbæ cuiusdam præsumptionis esse, si quis  
de iustificatione atq; salute sua certò statuat? *Quæ dubitatio*  
cum fide iustificante è diametro pugnat. Nisi forte eam intelli-  
gas fidē, quæ in Epicureos, scortatores, adulteros, auaros, ebrio-  
los, & id genus sceleratos cadit. Nam his quoq; fidem iustifican-  
tem tribuit Concilium Tridentinum.

Quod porro Sacrificia potius, quam Sacraæta promissionum  
diuinarum Sigilla esse ait, quia *vetus Testamentum olim sanguine vi-* Exod. 24.  
*etima obsignatum fuerit:* fateor eundem fuisse finem & scopum  
tum Sacrificiorum tum Sacramentorum veteris Testamenti,  
nempe fidem in Christum venturum alere & confirmare. Ve-  
rum quorsum illud de Sacrificijs Leuiticis iam olim Christi ad-  
uentu abrogatis? Translatò enim Sacerdotio, legem quoque Heb. 7.  
transfer-

transferri Apostolus testatur. Nam quod ad spiritualia sacrificia attinet, id est, bona opera fidelium Decalogo mandata, nihil hæc vi sua merentur neq; viuis neq; defunctis, quamvis illa Dominus ex gratia remuneretur, idq; vi & merito vniuersi illius Sacrificij Christi non nisi in cruce oblati, nec vñquam iterandi.

Quod deniq; nihil nos Deo offerre ait, quod ab ipso non accep-  
rimus, ac proinde nihil obstat, quo minus in Cœna Deo dona sua, id  
est, corpus & sanguinem filij sui offeramus: respondeo, Sacra-  
mentorum & Sacrificiorum differentiam à forma sumendam es-  
se, non à materia, quæ vtrorumq; communis esse potest. Est au-  
tem hæc Sacramentorum forma, qua differunt à Sacrificijs,  
quod in illis Deus nobis aliquid offert ac donat: in his verò nos  
Deo aliquid offerimus, quantumvis id, quod offerimus, Deo ac-  
ceptum feramus. Quis enim inficietur, fidelium bona opera es-  
se dona Dei: quæ tamen Sacrificia & cultus Dei rectè dicuntur.  
Nec verò negamus, fidelium preces & gratiarum actiones cum  
Cœna coniunctas sacrificia esse. At Missam Pontificiam, quam  
Sacrificium fingunt *in asynchrone* provinciis & defunctis, in veris sacri-  
ficijs numerandam esse negamus, quippe quæ verbo Dei ad-  
uersatur.

**Thef. 15. & 16.** Dixi, Sacraenta esse pignora seu sigilla, quæ à Deo pro-  
mittente oblata, à nobis accipiātur. Ad quæ aduersarius: *Etiamsi,*  
inquit, *Sacraenta essent quasi sigilla aut pignora, quod non sunt &c.*  
Expungat igitur & oblitteret, quod Paulus ait, Circumcisionem  
Abrahami fuisse *σημαῖδε*, id est, signaculum seu sigillum iustitiae  
fidei. Porro Cœnam propriè Sacramentum esse, non Sacrifi-  
cium, nedum Missaticum illud, ex forma ipsius, verbis institutio-  
nis definita, liquet, sicut hactenus est dictum.

**Rom. 4.**

**Thef. 17. & 18.** Patres ostendi Cœnam sacram longè alio respectu Sacri-  
ficium appellare, quam Pontificios Missam suam. Id verò ad-  
uersarius negat, nec alio sensu Coenam ab illis Sacrificium dici,  
quam à Catholicis, id est, Pontificijs, contendit productis ali-  
quot pa-

quot patrum testimonij, quibus id probare conatur. Constat  
fanè patres, cùm de Cœna loquuntur, sacrificij, oblationis & im-  
molationis nominibus vti, imò disertè affirmare, corpus & san-  
guinem Christi in Cœna Deo offerri. Verū hoc inter nos &  
Pontificios disceptatur: Anné patres eiusmodi Sacrificium in  
Cœna fieri doceant, quod verè sit propitiatorium, quo peccata  
expientur tum viuorum tum mortuorum, in quo vel nulla  
profus, vel mutila fiat corporis & sanguinis Christi distributio,  
populi respectu: quod deniq; ex opere operato, vt loquimini,  
alijs possit applicari ad omne bonorum genus impetrandum,  
quemadmodum de Missâ vestra prædicatis? Id verò est disputa-  
tionis huius *Ἐπιστολὴ πρὸς Ἱερονόμον*. Porrò negamus Patres tale Sacrificium in  
Cœna designasse. Extant enim apud Iustini, Irenæum, Cy-  
prianum, & alios patres sinceriores Eucharistiaæ descriptiones à  
Missa Pontificia *διὰ διὰ ταῦτα* discrepantes. Deinde ipsi se patres  
interpretantur, cuiusmodi Sacrificium in hoc argumendo in-  
telligant, & quo respectu dicant, Christi corpus in Cœna Deo  
offerri. Ut enim nunc omittam preces & gratiarum actiones,  
itemque munerum in usum pauperum oblationes olim cum  
Cœnæ actione coniunctas, quarum respectu Cœnam Sacrifi-  
cium patribus appellari aduersarius negare nec audet nec potest:  
non difficile fuerit, alias insuper appellationis huius rationes ex  
iisdem patribus assignare à fidei analogia haud alienas. Primum  
enim ut Euangelij prædicatio *λειτεργία & ιερεύζα* dicitur Rom. 15.  
Act. 13. (quas voces vetus interpres Latinus Sacrificij nomine  
vertit) Sic administratio Cœnæ ac tota eius actio non inepte  
Sacrificium dicitur. Vnde Augustinus ipsum Cœnæ actionem  
sancti altaris oblationem vocat, quæ Deo offeratur, dum id quod in  
mensa Domini est, benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum  
communitur & preparatur. Ut enim alia fidelium bona opera  
velut sacrificia Deo offerri dicuntur, dum ex verbi diuini præscri-  
pto in honorem Dei præstantur: Sic præstatiuum illud opus,  
ministe-

Patres quo se-  
su coenam ap-  
pellauerint sa-  
crificium.

*Ad Paulin.*  
*Epist. 5. &c.*

2 Cor. 2.

Ad Bonifacium  
Epist. 23. & in  
Psal. 79.

ministerium verbi & Sacramentorum, quò minùs Sacrificii in-  
star Deo offerri dicatur, nulla religio erat. De quo Sacrificio  
Paulus: Christi bonus odor sumus, inquit, in his, qui salvi sunt.  
Ac disertè Augustinus in ea, quam describit, oblatione distribu-  
tionis meminit. Vnde alibi ait, corpus Christi in Cœna nunc  
populis, nunc nobis, nunc fidelibus immolari.

Ambr. in epist.  
ad Hebr.  
Chrysostom in eä-  
dem epist. Ho-  
mili. 17.

Deinde Cœnam patres sacrificium appellant, quòd in cā  
memoria celebretur veri & vinci Sacrificij Christi semel in cru-  
ce oblati, sicut in thesibus nostris ex Ambrosio & Chrysostomo  
in margine assignati loci testantur. Sic enim Ambrosius: Quod  
nos, inquit, agimus, recordatio est Sacrificij. Et Chrysostomus: Quod  
nos facimus, inquit, fit ad commemorationem eius, quod semel factum  
est: non aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus: magis autem  
recordationem Sacrificij facimus: quia ipse dicit: Hoc facite in mei com-  
memorationem. Modum quoq; commemorandi exprimunt,  
non qui in histrionicis Missæ Pontificiæ gestibus, sed qui in di-  
stribuendo, edendo, & bibendo consistat. Sicenim August.

August. in sen-  
tent. Prof. item  
de Trinitate.

Cum  
frangitur hostia, inquit, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur;  
quid aliud, quām Dominicī corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguis  
de latere effusio designatur? Item. Qui Domini morte liberati su-  
mus, eius rei memoriam, edendo & potando, que oblatas sunt, signifi-  
camus. In eandem sententiam Petrus Lombardus quætionem  
hanc tractans, Quomodo Christus semel in cruce immolatus,  
quotidie in Sacramento immoletur. Semel, inquit, Christus mor-  
tuus est in cruce, ibiq; immolatus est in semetipso: quotidie autem im-  
molatur in Sacramento: quia in Sacramento recordatio fit illius, quod  
factum est semel.

Lab. 4. distin. 12.

Cum deniq; in Cœna corpus & sanguis Christi (quæ verē sa-  
crificiū sunt, ad expianda peccata in cruce oblatū) distribuantur:  
horum respectu veteres Cœnam appellant hostiam salutarem &  
puram, premium nostrum, Sacrificium propitiatorium. Quæ quidem  
elegia non de Missæ pontificiæ forma sunt accipienda, sed de  
corporis

corpore & sanguine Christi, quæ in Cœna distribuuntur, & quibus Christi beneficia fidelibus applicantur & ob signantur. Sic Cyprianus: *Panis iste super substantialis, inquit, & benedictionis, simul De Cœna Do-*  
*lenni benedictione Sacratus, ad totius hominis vitam proficit, simul mini-*  
*medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgan-*  
*das iniquitates existens.*

Iam cum his Cœnæ descriptionibus, quæ apud veteres leguntur, tu mihi compara Missam Pontificiam cum vniuersa ceremoniarum pompa & sacrilega illa nundinatione, quam sacrificuli Missarum applicatione iam olim exercuerunt: & apparabit, quantum hæc à veterum Eucharistia differat. Nec alia ex iis, quæ citâsti, patrum testimonij sententia elici potest, si quis illa (quod omnino est faciendum) secundum Scripturam sacram & fidei analogiam interpretetur. Mentio in eis fit Sacrifício & Deo immolati corporis & sanguinis Christi: quod quemadmodum intelligendum sit, modò ex Patrum sententia explicauimus. Mentio item fit distributi & à populo percepti corporis & sanguinis Christi. At in Missis vestris vel nulla vel non integrat Cœnæ distributio. Ac miror, si bona conscientia hæc Au- De Cœnat. Dei  
 gustini verba transcribere potuisti: *Pro omnibus illis sacrificiis &* lib. 17. cap. 20.  
*oblationibus corpus eius offertur & participatibus ministratur. Item:* Item. Contra  
*Vnde iam Christiani peracti eius sacrificii memoriam celebrant sacro-* Faust. lib. 20.  
*santa oblatione & participatione corporis Christi. Vbi disertè par-* cap. 18.  
*icipationis meminit.*

Et ut demus (quod euinci non potest) Patres de Cœna idem proorsus vobiscum sensisse: an id fraudi esse possit veritati, quæ Scripturæ Canonice, non patrum auctoritate nititur? Qua de re audi, quid scribat Cyprianus, hoc ipsum tractans argumentum. *Nam si in Sacrificio, inquit, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, ut id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit. & quod faciendum esse mandauit. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum*

D putauerit:

Cyprian. lib. 2.  
 epist. 3. ad Concilium de Sacramento calicis.

putauerit: sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Quod si nec minima de mandatis Domini licet soluere: quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptio-  
nis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quam quod diuinitus institutum est, humnaa traditione mutare? Et paulo post. Nam si sacerdotes Dei & Christi sumus: non inuenio, quæ magis sequi, quam Deum & Christum, debeamus.

Thef. 19.20.  
& 21.

Christum in Missa denuo offerri non posse confirmavi argumento à perfectione Sacrificij semel à Christo in cruce oblati: idq; ex sententia Epistolæ ad Hebræos. Vbi aduersarius distinguit inter cruentum & incruentum Christi sacrificium: illud in cruce semel oblatum satis fuisse ait ad promerēdam humano generi salutem, atq; hoc nomine perfectum ab Apostolo censeri: Sed tamen hanc cruenti Sacrificii perfectionem non impedire, quo minus ritu quoq; incruento Christus in Missa offeratur ad applicandum singulis illud Christi meritum. Primum ineptam esse dico distinctionem illam cruenti & incruenti Sacrificij: quippe nullo Scripturæ fundamento subnixam. Neq; enim Apostolus ad Hebræos perfectionem Sacrificij Christi demonstrans ita distinguit, ut cruentum quidem Sacrificium in cruce factum satis fuisse dicat ad comparandum redemptionis pretium: ad applicandum verò illud altero quodam Sacrificio incruento sit opus: Sed unum duntaxat idq; cruentum Christi Sacrificium describit atq; commendat. *Vni-  
ca oblatione, inquit, consummavit in perpetuum eos, qui sanctificatur.* Item. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel peractam. Item. Nunc autem semel sub consummationem seculorum, ad profligationem peccati per immolationem sui ipsius apparuit. Et. Vbi peccatorum est remissio, non est amplius oblatio pro peccato. Quibus Apostoli testimonijs nihil tam aduersatur, quam incruentum illud Missæ sacrificium. Ait Apostolus, Christum semel oblatum esse, nec sapius offerendum. Contra Pontificij Christum incruen-

Hebr. 10.

Hebr. 9.

Hebr. 10.

in cruento modo saepius offerendum esse contendunt. Negat Apostolus, sine sanguinis effusione remissionem peccatorum fieri. At Pontificij affirmant fieri remissionem peccatorum in cruento Sacrificio, id est, sine sanguinis effusione. Negat item Apostolus, villam superesse oblationem, vbi peccatorum est remissio: Pontificij verò superesse quandam oblationem pro peccato, in cruentam videlicet, afferunt. Porro non alium applicandi meriti Christi modum Scriptura tradit, nisi verbum & Sacra menta, in quibus Christi beneficia nobis à Deo oblata, fide à nobis apprehenduntur. Quisquis igitur iteratam quandam eamq; in cruentam corporis Christi oblationem afferit, qua non solum Christi meritum nobis applicetur, sed etiam peccata secundum effectum (vtor aduersarij verbis) expientur: is & perfectioni Sacrificij Christi derogat, & in meritum Christi, quo solo peccata expiantur, est contumeliosus.

Similiter à natura victimarum, quae immolantur, demon-  
straui ex eadem Epistola ad Hebreos, Christi Sacrificium in  
Missa non esse iterandum: quia victimas, quae immolantur, oc-  
cidi necesse sit: Christus autem vt non amplius moriatur, ita nec  
amplius offerri possit. Hic iterum antagonista distinguit inter  
redemptionem cruento Christi sacrificio in cruce toti huma-  
no generi partam, & eiusdem applicationem, quae per media di-  
uinitus ordinata fiat, singulorum hominum respectu, qui redemptio-  
nis illius vim & fructum participare velint. In quibus medijs præ-  
ter verbum, Sacra menta, & fidem, aduersarius bona opera, itēq;  
Missæ Sacrificium numerat. Nos verò vt ordinaria illa, quae  
Scriptura nobis commendat, applicandi meriti Christi organa,  
verbum Dei inquam, Sacra menta, & fidem, amplectimur: Sic  
bona opera, nedum Missam, in organis illis seu medijs appli-  
candi censenda esse negamus. Paulus enim virtutem meriti  
Christi & redemptionis in verbo & Sacramentis diuinitus ob-  
latam, non nisi per fidem à nobis percipi & nobis applicari testa-

Thes. 12. 23.  
& 24.

Rom. 3.4.  
Gal. 3.  
Ephes. 2.  
Matth. 12.

tur. Quam fidem bona opera velut arborem fructus comitatur. In quibus bonis operibus Missam vestram haud numeramus, quippe quae verbo Dei repugnat: nedum ut illam pro organo applicandi meriti Christi habeamus. Nam quod illam inter media applicandi a te & tuis reponi ait, non moramur: nisi est Scripturis sententiam vestram probetis. Et quorsum, obsecro, illud ex Augustino hoc loco de instrumentis applicandi meriti Christi, ab te citatum: quo error tuus de applicando per Missam Sacrificium merito Christi, maximè refellitur? *Poculum immortalitatis*, inquit Augustinus, *quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, ut omnibus proficit: sed si non bibitur, non proficit.* Cum enim in Missa vestra poculum laicis, quos vocatis, ad bibendum non distribuatur: consequitur, illos virtutem meriti Christi non participare, ut qui poculum non bibant, attestante Augustino.

Thes. 25. 26.  
& 27.

Homil. 5. Pa-  
schali. De con-  
fess. 2. cap. quia  
corpus.

Quam ad probandum incruentum Missæ Sacrificium ex Eusebio Emisseno citas, Sententia nihil tibi patrocinatur. Loquitur enim Eusebius non de Missa Pontificia, sed de Sacramento corporis & sanguinis Christi, in quo ait *coli iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Quod quidem Sacramentum *perpetuam redemptionis oblationem & perennem victimam* appellat, quod corpus & sanguis Christi, quibus redemptio nobis in cruce parta est, in vsu sacramenti semper fidelibus distribuantur, ad applicandum illis & ob-signandum beneficia Christi: atq; ita *perennis illa victima viuit in memoria, & praesens semper est in gratia*, quatenus victimæ illius semel in cruce oblatæ virtus perpetuò viget apud Deum, & in vsu Sacramenti fidelibus applicatur. In quam sententiam Cyprianus: *Oblatio Christi, inquit, in cruce facta non minus hodie in conspectu Dei efficax est, quam eo die, quo de saucio latere sanguis & aqua exiuit.* Semper enim reseratae in corpore plague, salutis humanae exigunt pretium & obedientia donatiuum requirunt. Insulsus igitur est aduersarius, qui ubiunc

Vbicunq; apud veteres Sacrificij & oblationis nomen occurrit, de incruento Missæ suæ theatalis Sacrificio sermonem esse arbitratur, anticipato errore suo fascinatus, ac similis eorum, qui glaucomate laborantes, quicquid intuentur, eodem colore infestum putant, quem vitiosus oculi humor illis repræsentat.

Cùm igitur non aliud Scriptura noui Testamenti tradat Sacrificium ~~hæsus~~, quām cruentum illud Christi semel in cruce oblatum: cuius virtus & meritum per verbum & Sacramenta, non per alterum quoddam incruentum Missæ sacrificium, nobis applicetur: reçè cum Apostolo concludimus, qui Christum hodic sæpius pro peccatis offerunt, eos quantum in ipsis est, Christum denuo occidere, non absimiles ijs, qui, vt idem Apostolus ait, denuo sibi crucifigunt filium Dei. Est enim hæc Hebr. 4. victimarum, quæ offeruntur, natura ex Dei instituto, vt occiduntur. Quam certè naturam mutant, qui externum quoddam propriè dictum Christi sacrificium, idq; incruentum, in Missa fieri contendunt. Secus de spiritualibus fidelium sacrificijs habendum, quæ patribus incruenta dicūtur, ad differentiam Leuiticorum sacrificiorum, quæ ex animalibus constabant, & quorum immolatio erat cruenta.

Ex officio Christi summi Sacerdotis nostri proprio de Thef. 18. 29.  
& 30.  
 monstro, illum in Missa offerri non posse: quia vt ipse vni sit  
 noster summus Pontifex & Mediator, sic ab alio, quām semet-  
 ipso, offerri non possit: in cuius officij societatem neminem ad-  
 mittat. Quid verò ad hæcaduersarius? Si *summus est Sacerdos*, in-  
 quirit, ergo *habet alios inferiores*. Habet sanè, sed non Missaticos,  
 qui externo quodam coq; incruento modo ipsum denuo offe-  
 rant, ad expianda peccata viuorum & defunctorum. Sed spiri-  
 tuales Christi Sacerdotes sunt omnes fideles, qui ob id regale 1. Pet. 2.  
Rom. 12.  
 sacerdotium dicuntur, quòd Deo offerant hostias spirituales,  
 atq; adeò se ipsos illi totos consecrent. Porrò eas Sacerdotij par-  
 tes Christus sibi vni vendicat, quæ reconciliationis redemptio-

1.Cor. 3. &amp; 4.

nisiq; munus propriè attingunt. Neq; hīc alios sibi substituit Sacerdotes & mediatores vicarios, qui ipsum in Missā quotidie offerant ad applicandam singulis redēptionis per Christum partē virtutem: sed verbi ministros constituit, qui verbum Dei sincerē docendo, & Sacraenta legitimē administrando nos ad perennem vitā fontem Christum adducant, ex quo salutares aquæ per verbum & Sacraenta velut canales ad nos demanant. Vnde ~~servi~~ Dei, ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei dicuntur. Quo ministrorum ordine Missifices illos sacerdotes negamus comprehendendi. Neq; enim Scriptura noui Testamenti aliud tradit Sacerdotium externum, quod sacrificium aliquod externum respiciat, nisi Christi Sacerdotium Leuitico illo adumbratum. Quod quidem Christi Sacerdotium morte illius non fuit extinctum. Etsi enim oblatio eius semel in cruce facta præteriit: virtus tamen illius perpetuò viget, quam ipse æternus Pontifex fidelibus etiam nunc efficaciter applicat, & ad dextram patris euectus semper viuit ad hoc, vt interpellat pro nobis, teste Apostolo, Hebr. 7. & Rom. s.

Non igitur locum habet illa aduersarij distinctio inter primam & secundam reconciliationem: quarum illa in cruce facta vni Christo propria sit, hæc vero à Sacerdote quotidie fiat in Missā, ad applicandam singulare illius reconciliationis virtutem: nisi hæc applicandi ratio è Scriptura demonstretur. Nam de Sacramentis diuinitus institutis nemo pius dubitat, quin per ea nobis beneficia Christi applicentur. Sed de Missā vestræ sacrificio disceptatur: id vero demonstra, si potes, ad applicandam nobis meriti Christi vim diuinitus esse institutum: ordinatos item sacerdotes, qui hoc applicandi ritu in Ecclesia defungantur.

Thes. 31, 32, 33,  
34. & 35.

Melchizedeci historiam ad stabiliendum Missæ sacrificium ineptè transferri ostendimus, assignatis rationibus. Aduersarius contrà rectè huc accommodari ait, annotatis plurimis locis

locis pattum, qui Melchizedecum offerendo panem & vinum typum prætulisse Sacrificio Missæ docuerint. Nos verò non inficiamur, patres in panis & vini oblatione mysterium Coenæ quæsiuisse, idq; quò maiorem Sacramento huic auctoritatem conciliarent, quippe quod iam olim ante Legis promulgationem à Melchizedeco fuerit præfiguratum. Ut enim Melchizedecus panem & vinum Abrahamo obtulit, ad recreandas illius copias fessas de via: Sic in Coena Christum sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem suum nobis exhibere in spiritualem alimoniam. Quæ patrum allegoria ut per se pia est, ita Missæ sacrificio nihil patrocinatur. Neq; enim negari potest, plerosq; patres docuisse, Melchizedecum panem & vintum obtulisse Abrahamo: nec aliud ex contextu verborum Moysis, vt in Hebreo leguntur, colligi potest. Cùm enim Melchizedecus & rex esset & Sacerdos: utriusq; officij rationem reddere voluit Moses: quia rex esset, munificentiam suam erga Abrahamum declarasse promiendo panem & vinni: quia sacerdos, Abrahamo benedixisse. Quòd si qui patres diuersum senserunt, constat allegorrias ad stabilienda fidei dogmata nihil habere momenti, nisi alijs illustribus Scripturæ testimonijs confirmentur. Alioqui cuvis promptum foret allegorijs ludere: qualicentia concessa, nullum fidei dogma certum ac firmum fuerit. Quia in re tamen nonnullos veterum sibi nimium induluisse constat. Porrò Melchizedecum typum gesuisse Christi quis neget, Davide & Apostolo asserētibus? At quibus in rebus typus ille consistat, ex Apostolorum scriptis, non hominum allegorijs, nobis est cognoscendum. Cùm enim David generatim affirmet, Christum Sacerdotem esse secundum ordinem Melchizedech: genus illud nobis euoluit & explicat Apostolus, Hebr. 7. Demonstratus enim Sacerdotij Christi præstantiam, Christum cum Melchizedeco, & vtrumq; cum Abrahamo eiusque posteris Leuitis, ita comparat, ut quemadmodum Melchizedech rex simul & Sacerdos

Augustin.  
quatt. ex vtroq;  
109.

Ambroſe Sa-  
cram. lib. 4. cap.  
3. & in epif. ad  
Hebr. cap. 7. Ter-  
tullian. adver-  
sus Iudeos.  
Chrysost. in Ge-  
neſ. Homil. 36.  
& in Psal. 109.

Pſal. 110.  
Hebr. 7. & 10.

sacerdos fuit, sine patre, sine matre, sine genere, nec initium di-  
 rum, nec vitæ finem habens, qui Abrahamo benedixit, & ab eo  
 decimas accepit: Sic Christus, cuius ille typum gessit, rex &  
 sacerdos sit æternus, præstantior Abrahamo & omnibus eius  
 posteris, Leuiticis Sacerdotibus. Vbi nulla mentio oblationis  
 panis & vini: quæ certè non fuerat omittenda, si quidem ad Sa-  
 cerdotium Melchizedeci & Christi illa pertinebat. Nam quòd  
 excipit aduersarius ideo omissam ab Apostolo fuisse panis & vini ob-  
 lationem, quòd ea vilior fuerit Leuiticis taurorum & vitulorum ob-  
 lationibus: adeò Missam illius non subleuat, vt potius euertat. Ut  
 enim demus (quod Moses non habet) Melchizedecum panem  
 & vinum Deo obtulisse: an non panis & vini oblatio in Leui-  
 ticis quoque Sacrificijs censebatur, ac proinde Melchizedeco  
 cum Leuiticis sacerdotibus fuit communis? Quo pacto igitur  
 constabit Apostoli collatio, Melchizedecum Sacerdotibus Le-  
 uiticis antepontentis, si panis & vini oblatio à Melchizedeco fa-  
 ta non solùm communis illi cum Sacerdotibus Leuiticis, sed  
 etiam vilior fuit oblationibus taurorum & vitulorum legalibus?  
 Exeo namq; efficeretur, sacerdotium Christi, cuius typum ges-  
 sit Melchizedech, non solùm non præstantius, sed ignobilius  
 quoq; esse Leuitico: si quidem panis & vini oblatio ad typum il-  
 lum pertinet, atq; adeò illius est caput, vt i vos contenditis. Imò  
 quomodo ista inter se consentiunt, quod tu ais, oblationem panis  
 & vini ad ritum Sacrificij Melchizedeciani pertinere: & quod Ma-  
 gister Sententiarum affirmat, presbyterorum vestrorum ordi-  
 nem à filijs Aaron originem sumplissè? Etenim si ordo Melchi-  
 zedeci opponitur ordini Leuitico, teste Apostolo: & presbyte-  
 rorum Pontificiorum ordo originem traxit à Sacerdotibus Le-  
 uiticis, vt Magister sententiarum afferit: Sacerdotium Melchi-  
 zedeci ad presbyteros pontificios & Missæ Sacrificium nihil per-  
 tinet. Adde, quod oblatio panis & vini in Lege non erat propi-  
 tiatorium Sacrificium: cùm isti Missam suam propitiatorium

Sacrificia

Exod. 29.  
 Num. 28.

Lib. 4. Sent. di-  
 stin. 24.

Hebr. 7.

Sacrificium propriè dictum esse affirment. Relinquitur ergo, in alijs rebus, quàm in oblatione panis & vini, typum Melchizedeci & Sacerdotij illius cōsistere: quantumuis *vniuersus patrum Græcorum & Latinorum chorus diuersum doceat.* Plus enim fidei habendum censemus Scripturæ sacræ, quàm hominum commentis.

At, inquis, patres utrumq; affirmant, Melchizedecum panem & vinum non solum Abrahamo, sed etiam Deo obtulisse. Esto. Nos verò non quid patres de hac Melchizedeci oblatione senserint, potissimum quærimus: sed quid narret Moses, & quid Apostolus optimus Mosis interpres de ea doceat. Quorum neuter cùm asserat, Melchizedecum panem & vinum Deo obtulisse: quantum hic trbuendum sit patrum judicio, quiuis intelligit. Neq; enim patrum interpretationes pro oraculis habemus, sed è Scripturis Canonicis dijudicamus.

Nec Mosis narratio huic patrum expositioni, vt tu ais, suffragatur. Sic enim ille (vt quidem in Hebræo verba leguntur) *Melchizedech, inquit, rex Salem protulit* (Moses vtitur verbo *Hotsi*, quod generatim promere, producere, proferre significat) *panem & vinum.* Et ipse Sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei, &c. vbi copula genuinam vim suam & potestatem retinet, interprete Apóstolo, qui vtrumq; in Melchizedeco connectit, asserens, & regem <sup>Hebr. 7.</sup> fuisse & Sacerdotem. Nec Græci interpretes rationalem &c. sed & habent: qui & posterius membrum de benedictione cum Sacerdotio connectunt, hoc modo: *Erat verò Sacerdos Dei altissimi: & benedixit, &c.* vt Sacerdotij ratio benedicendi, non offerendi verbo exprimatur. Ex quo appetet quid momenti habeat illa aduersarii ratio, negantis, Melchizedecum ideo Sacerdotem à Moſe appellari, quod Abrahamo benedixit: quia post illa verba: *Erat Sacerdos Dei altissimi:* in Hebræo sit periodus. Neq; enim Græci hanc distinctionem sequuntur, vt diximus: nisi illos cum Moſe committere libeat. Porro in Melchizedeci persona, qua-

tenus Sacerdos fuit, vtrumq; dicimus esse considerandum: & quòd benedixit, & quòd Abrahamo benedixit. Illud Sacerdotium eius arguit: hoc Sacerdotij præstantiam, quia minor bene- dicitur à maiore.

**Thesis 36.**  
De transsub-  
stantiatione.

**a. Cor. 10. & 11.**

De iis, qui my-  
stériis initian-  
tur cap. 9.

**lib. I. Decretalii  
cap. Firmiter.**

**Iren. lib. 4. cap.  
94.**

Hactenus differuimus de ea Cœnæ Dominicæ in Missa profanatione, qua Cœnam Pontificij in Sacrificium conuer- tunt propitiatorum. Nunc ad aliam profanationis partem transimus, qua panem & vinum Eucharistia in ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam mutari docent, quam Transsubstantiationem vocant. Quam quidem in thesibus nostris refu- tauimus testimonio Pauli, qui cùm ante tūm post consecratio- nem panem appellat panem. Respondet aduersarius, tantum abesse, ut transsubstantatio ex Paulo refutetur, ut potius confirmetur. Quid ita verò? Quia licet, inquit, Paulus non dicat, per benedictio- nem panem conuerti in corpus Christi: dicit tamen panem & calicem benedici vel consecrari, cuius benedictionis eam esse vim ait aduersa- rius, ut panis & vinū in naturā transeant corporis & sanguinis Do- minici. Expectanti mihi de hac consecrationis virtute Paulitesti- monium, obiicitur Ambrosius, qui, Probemus, inquit, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio coſecravit: maioremq; vim esse benedictionis, quam natura, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Atqui cōſtat Ambrosiū aliosq; eius seculi patres de ve- stra illa Transsubstantiatione ne per febrim quidē somniasset. Est enim multò recētius hoc dogma, quippe Innocentij III. tempo- ribus, circiter annum Christi 1200. sanctum. Sed tamen, inquis, Ambrosius eam esse vim ait benedictionis, ut ipsam quoque na- turam panis mutet. Nempe, quoniam panis in actione Cœnæ non amplius communis seu vulgaris est panis: sed in hunc vsum per benedictionem consecratus, vt corporis Dominici in Cœ- na verè præsentis sit symbolum. In quam sententiam Irenæus ait, panem fractum & calicem mixtum, postquam accepit vocacionem Dei, non amplius esse communem panem & vinum, sed Eucharistiam corporis

*corporis & sanguinis Christi.* Et Ambrosius alibi se ipse interpre-tatur, qualem intelligat mutationem. *Sit tanta vis est*, inquit, *in Lib. 4. de Sacra-sermone Domini Iesu*, *ut inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud conuertantur.* Vbi vtrū-que asserit, tum esse in Cœna panem & vinum, quæ erant, id est, substantiam suam retinere: tum in aliud conuersti, id est, verbo Dei in hunc vsum consecrari, & ynà cum eis corpus & sanguis Christi nobis distribuantur.

Sed fortius etiam nunc pugnat aduersarius ex Paulo. Ait enim hæc Pauli verba: *calix benedictionis nonne communicatio san-guinis Christi est?* idem declarare, atq; vi benedictionis fieri, vt non vino calicis, sed sanguine communicemus. Alioqui si post benedictionem panis & vinum manerent, dicturum fuisse Apostolum: *calicem benedictionis esse communicationem corporis simul & vini.* Panem fractum esse communicationem corporis simul & pa-nis. Sed quis non videt argumenti huius futilitatem? Paulus summa Cœnæ velut compendio traditurus, quid in ea perci-piamus, docet, ac potiorem eius partem exprimit, nempe cor-pus & sanguinem Christi, ne quis existimet, præter panem & vi-num nihil in ea participari. Cumq; de symbolorum, id est, panis & vini, in Cœna præsentia & communicatione nemo dubitet, quippe quæ in oculos & sensus incurruunt: quid attinebat de horum communicatione addi? Panem enim & vinum in Cœna omnes & videimus, & tangimus, & gustamus, vt planè ociosa & superuacanea fuisset isthæc appendix: perinde ac si quis pecuniā loculis inclusam alicui datus diceret: Ecce tibi, quam dono, pecuniā. Vbi nihil necesse est loculorum fieri mentionem. Por-rò quod subjicit Apostolus: *Quoniam unus panis, & unum cor-pus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* ex eo verò conversionem illam manifestè probari ait. *Quomodo enim, in-quirit, fieri potest, ut omnes Christiani de uno pane materiali partici-pent, nisi unius panis nomine unum corpus Christi, de quo uno omnes*

*participant, intelligatur? Quasi verò panis materialis vnum dici non possit, de quo per Orbem diffusa Ecclesia participat, nisi in ipsam corporis Christi substantiam conuertatur. Etsi enim non numero, at specie tamen & vsu vnum est panis ille sacer, qui in diuersis Ecclesiis particularibus distribuitur, & quo cum verum Christi corpus simul exhibetur. Sic vnum erat panis, quem Paulus vnā cum Ecclesia Philippensium in Coena sacra participabat Philippis (ex qua urbe illā ad Corinthios scripsit Epistolam) cum eo pane, quo Corinthiorum Ecclesia in Eucharistia vtebatur. Vt enim ad designandam spiritualem illam fidelium inter se coniunctionem (qua similitudine veteres in hoc arguento vtuntur) non necesse est vniuersa per Orbem grana in vnam panis massam coalescere, nec omnes acinos in vnum vini liquorem confluere: sic necesse non est vnum numero panem esse, de quo omnes totius Orbis Christiani participant. Quomodo vnum Baptismus dicitur, in diuersis Ecclesiis particularibus administratus, propter usum eius omnibus fidelibus communem, non propter fluminis unitatem, cùm pro locorum diuersitate fontes & fluuii diuersi esse possint, qui Baptismo aquam subministrant, per quam Dominus eandem regenerationis gratiam operatur.*

*Exempla Scripturæ, quibus probare conatur, panē quamvis in corpus Christi mutatum appellationem suam retinere, aliena sunt, vt quod virga Aaronis in serpentem conuerta nihilominus virga dicitur: quod Eua ex osse viri facta, os appellatur. Nam ijs locis Scriptura disertè mutationem factā narrat: quam si de pane & vino Cœnæ similiter prædicaret, exempla illā utique valerent. Idem iudicium est de Manna, quod metaphoricè panis dicitur, quia Scriptura disertè de eius origine testatur, non è terra natum, sed cœlitus datum fuisse populo in alimoniam. Simili metaphora Christus carnem suam panem appellat, disertè addens, non de pane externo seu materiali se loqui. Cūm autem de pane*

Pane Sacramentali ex Coenæ institutione & Pauli verbis tale quippiam doceri non possit, sed panis appellatio non minus post quam ante consecrationem retineatur: nihil causæ est, quamobrem à nativa & propria vocis significatione recedamus. Nec aliud sibi vult Paulus, cum post consecrationem *hunc panem* velut singularem appellat, nisi panem hunc sacrum, non vulgarem esse panem: quo nulla innuitur transubstantiatio. Quod porro addis, *eò panem dici, quòd figuram & accidentia retine-*  
*nt panis*: petitio principij est. Id enim probationis loco sumis, quod est in questione: num videlicet mutata panis substantia, sola figura illius & accidentia remaneant. Quod de effectis panis affers, pro nobis potius facit: cum enim panis ille sacer nativa & propria panis effecta retineat: quis inde verius ratiocinetur, substantiam eius manere, quam hac abolita, effecta illa relinquere? Neque enim effecta haec accidentium panis sunt, perempta eius substantia.

Transubstantiationem dixi cum ipsa Sacramenti natu-  
ra pugnare, idq; ex sententia Irenæi, assertentis, Sacramentum Lib. 4. cap. 34.  
duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Quod si panis natu-  
ram suam amittat, consequi, ut altera Sacramenti pars, nempe  
terrena aboleatur, contrà quam docuit Irenæus. Vbi aduersarius  
hanc Irenæi sententiam eluidens, rem terrenam interpretatur  
*species corporales panis & vini: quas terrenas dici ait, quia ex eadem*  
*materia cum substantia panis, qua non maneat, productæ sint.* Bella  
scilicet interpretatio. Irenæus per rem terrenam intelligit pa-  
nem & vinum, sicut se ipse interpretatur: pro quibus antagonista  
noster inane spectrum panis & vini nobis substituit, id est,  
species & accidentia sine substantia. Quis non Sophisticam  
hanc Irenæi verborum depravationem agnoscat? Sic enim  
Irenæus: *Cum antea, inquit, tantum esset una res: iam fit Eu-*  
*charistia, constans duabus rebus, pane & corpore Christi,*

*vino & sanguine Christi.* Vbi ex Pontificiorum sententia ita dicendum fuerat: cùm antea tantùm vna esset res, nempe terrena, iam sit Eucharistia, constans item vna re cœlesti, videlicet pane in corpus Christi, & vino in sanguinem cōuerso. Idem etiam nunc planius docet, panis substantiam in Eucharistia non aboleri: vbi ex Cœnæ mysterio demonstrat corporum nostrorum immortalitatem. *Quemadmodum*, inquit, *qui est à terra, panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* An verò, vt in Eucharistia res terrena (si tibi credimus) substantiam suam amittit, manentibus duntaxat speciebus & accidentibus: ita in resurrectione, abolita corporum nostrorum substantia, spectra duntaxat corporum excitabuntur, immortalitate donanda?

Quòd autem *in speciebus visibilibus formam Sacramenti habens consistere* ait: si per species visibles intelligis panis & vini spectra, id est, accidentia sine substantia, negamus. Neq; enim veteres per speciem elementorum nudam figuram intellexerunt substantia panis & vini vacuam. Vt cùm Augustinus ait: *Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus probare contendimus, Sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Christi carne & sanguine.* Vbi per visibilem elementorum speciem ipsum panem & vinum designat, quæ in vsum Sacramenti consecrata pristinam naturam suam mutarunt, ac velut deposuerunt, salua interim eorundem veritate atq; substantia. Sic enim Augustinus se ipse interpretatur, quando ibidem subiungit. *Sicut Christi persona constat ex Deo & homine, cùm ipse verus sit Deus & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.* Conficitur autem Sacrificium Ecclesiae duobus, Sacramento & re Sacramenti; id est, corpore Christi. Ex quo liquet, speciem elementorum naturæ & veritati corundem non opponi.

Dictum

Dictum Augustini à me citatum: *Accedit verbum ad elem- Thes. 38, & 39.*  
*mentum, & sit Sacramentum*, quo item panis & vini substantiam  
 in Cœna manere demonstrauit: aduersarius ad initium dunt-  
 at Sacraementi huius restringit, quatenus primum consecratur:  
 cùm ad totam pertineat actionem, quādiu vsus eius durat. Non  
 enim aliud his verbis Augustinus docet, quām Irenæus, cùm ait:  
*Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, sit Lib. 5.*  
*Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Quam duabus rebus con-*  
*bare idem ait, terrena & cœlesti, ut suprà ostendimus.*

Exanalogia Baptismi ostendo, vt in Baptismo aquæ sub- Thesis 40.  
 stantia manet: sic in Cœna panem & vinum substantiam suam  
 retinere. Vbi aduersarius, *de Cœna Lutherana*, inquit, *vel Cinglia-*  
*na verum est, non de Missa Catholica.* Nos verò vt panem & vinum  
 in Cœna sacra substantiam suam retinere fatemur: sic vñā cum  
 pane & vino verum corpus & sanguinem Christi adesse, exhibe-  
 ti, & percipi credimus ex Christi instituto. Ad quam corporis &  
 sanguinis Christi præsentiam & participationem non est necel-  
 lepanis & vini substantiam aboleri, præsertim cùm descriptio-  
 nes Cœnæ apud Euangelistas & Paulum id minimè innuant,  
 imò contrarium potius doceant. Nec valet consequutio argu-  
 menti tui, quod hoc loco texis; In Cana Galilææ verbis Christi *Iohann. 2.*  
 aquæ substantia conuerfa est in vinum. Ergo in Cœna quoq; pa-  
 nis & vini substantia in corpus & sanguinem Christi conuerti-  
 tur. Nam de aquæ mutatione Scriptura disertè testatur: de panis  
 Verò & vini mutatione non item.

Patres affirmauit, cùm de panis & vini in Cœna mutatio- Thesis 41.  
 ne & conuersione loquuntur, mutationem intelligere Sacra-  
 mentalem, non qua panis & vinum substantiam suam amit-  
 tant, sed qua in usum sacrum destinentur, ut symbola fiant cor-  
 poris & sanguinis Dominicæ. Quam glossam meam vanam esse ad-  
 versarius demonstrare conatur, adductis aliquot patrum testi-  
 monijs, assercentium, *panis naturam mutari, fieri carnem, post con-*  
*secratio-*

*separationem non amplius esse panem, in corporis Dominici naturam transire, transelementari, & si quae sunt aliae eius generis loquutiones. Respondeo, has patrum loquutiones ita exponendas esse, ut ne patres non dicam cum Scriptura, sed secum ipsis committamus. Quod si patres ipsos verborum suorum interpres audiamus, apparebit, nihil inter nos & illos esse dissidij. De Ambrosii testimonio, quod hoc loco repetis, dictum est suprà, cuiusmodi mutationem symbolorum ab illo asseri, ut & sint, que erant, & in aliud conuertantur.* Gelasius Episcopus Romanus & suam & veterum sententiam explicat in libro contra Eutychen & Nestorium, de hac panis & vini in Coena mutatione, docens, ita transire in substantiam corporis & sanguinis Christi, ut panis & vinum esse non desinant: item sicut persona Christi duabus constat naturis, sic Eucharistiam duobus constare, signo & resignata. Similiter Augustinus res duas distinctas in Coena asserit.

*Sicut, inquit, Christi persona constat ex Deo & homine, cum ipse verus sit Deus & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesia duobus, Sacramento & re Sacramenti, id est, corpore Christi. Cyprianus, cuius sententia ab aduersario citatur ex sermone de Coena Domini (quamquam de authore eius dubitatur) qualem intelligat mutationem, ipse exponit, cum subjicit: Sicut in persona Christi, humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit substantia, ut effet religioni circa Sacraenta deuotio. Hesychius item duas distin-*

*In Leuit. lib. 20. cap. 8. Itas substantias in Eucharistia statuit. Propterea, inquit, carnes cum panibus comedи praecipiens, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est. Accedit huc, quod patres mutationem illam Sacramentalē declarant similitudine regenerationis & spiritualis nostrae cum Christo consociationis, qua ut vetus natura seu substantia nostra non aboletur, sic in Coena non necesse est panis & vini substantiam nouæ gratiae accese-*

Lib. 4. de Sacra-  
mento.

De consecr. di-  
finet. 2.

cap. 8.

Accessione perimi ac tolli. Sic Emissenus de hac ipsa mutatione  
 Sacramentali differens, illustrandæ rei causa exemplo vtitur ana-  
 logico regenerationis. *Te ipsum, inquit, qui in Christo es regenera-*  
*tus, interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, in-*  
*transfèctus mortuus exulabas, subito salutaribus mysteriis initatus, in*  
*corpus Ecclesia non videndo, sed credendo transfluxisti, & de filio per-*  
*ditionis, adoptivus Dei filius factus es, cum idem atq. ipse esses, multò*  
*alter fidei processionibus extitisti, in exteriori nihil additum est, & to-*  
*rūm in interiori mutatum est.* An verò regenerati & Ecclesiæ in-  
 ferti ita mutantur, vt abolita pristina substantia sua, suscipiant  
 nouam? Plura in eandem sententiam apud patres dicta legun-  
 tur, quibus mutationem illam Sacramentalem, quam asserunt,  
 declarant. Sed Theodoreum audiamus, cuius testimonium à  
 me in margine citatum aduersarius in dubium vocat. Is igitur  
 mutationis symbolorum in Eucharistia non semel meminit.  
 Sed idem non dissimulat, quid hoc nomine intelligat: Sic enim  
 in Dialogo 1. *Christus, inquit, visibilia symbola appellatione corporis*  
*& sanguinis honorauit, & m̄y φ̄σιν μεταβαλλών, ἀλλὰ τὸν χρέων τὴν φύσιν ταρ-*  
*στηνός, id est, non mutans naturam symbolorum, sed gratiam naturie*  
*adjiciens.* Idem. *Mystica symbola, inquit, post sanctificationem & tñ Dial. 2.*  
*οὐτε ταῦτα τούτων, id est, naturam suam non amittunt. Item: μέρη δὲ*  
*τὸν μετέργετος σάρκας καὶ τὸ οἷον τὸ εἶδος, id est, Manent enim (sym-*  
*bolà post sanctificationem) in priori sua substantia, forma & specie. Vi-*  
 des igitur, quæ fuerit non solum Theodoreti, sed etiam eruditæ  
 Antiquitatis de mutatione Sacramentali panis & vini senten-  
 tia. Qua certè exploditur vestræ Transsubstantiationis com-  
 mentum.

Quod dixeram, eosdem patres thesi 41. in margine à me Thesis 42.  
 consignatos ad refutandum Eutychis errorem, & vtriusq; naturæ  
 in Christi persona veritatem asserēdam, ab analogia Sacra-  
 menti huius ratiocinari: id aduersarius suggillans, Ambrosius, inquit,  
 & Augustinus, quos nominatim citas, ante ortum Eutychen è viuic-

De consecr. di-  
stinct. 2. cap.  
Quia corpus.

excesserunt: qui sunt ergo illi iidem patres? Atqui ego non Augustinum, sed Theodoretum & Ambrosium citaueram: Augustini verba hac thesi 42. obiter duntaxat explicādi causa inscrueram: non quid illum Eutychi  $\alpha\gamma\chi\sigma\pi\tau\alpha\mu\tau\alpha$  facerē. Porrò Theodoretum, opinor, aduersarius ipse non negabit in Eutychis tempora simul & certamina incidisse, ut qui hæresin illius refutando bonam Ecclesiæ operam nauauit, sicut Dialogi eius testantur. Ambrosius vero, et si Eutychis tempora non attigit, in refellenda tamen Valentini & Apollinaris hæresi, quam Eutyches postea ex inferis reuocauit, elaborauit. Vnde testimonia illius de duabus in Christo naturis, in hoc ipso Eutychæo certamine citauit Synodus Chalcedonensis. Constat enim easdem hæreses diuersis temporibus, mutatis solūm auctorum personis, in theatrum produci, nouis coloribus interpolatas. Quid Augustinus per visibilem elementorum speciem intelligat, dictum est supra: nempe non spectrum quoddam panis & vini, seu figuram & accidentia sine substantia: sed ipsam panis & vini substantiam. Neque enim  $\phi\alpha\nu\tau\alpha\mu\tau\alpha$  elementorum & corpus ac sanguinem Christi cum duabus in Christo naturis comparat, sed ipsas rerum substantias, cum ait: *Sicut Christi persona constat ex Deo & homine, cum ipse verus sit Deus & verus homo. Quia omnis res illarum rerum naturalium & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento & re Sacramenti, id est, corpore Christi.* Vnde rectè colligo, si ea fuisset patrum sententia, symbolorum in Cœna substantiam in Christi corpus & sanguinem verè conuerti: hac ratione non confutatueros fuisse Eutychis dogma, sed potius confirmatueros. Qua de re audi Theodoretum, qui cum Eutychianum introduxit ita ratiocinantem: quemadmodum panis & vinum aliud sunt ante consecrationem, post consecrationem vero transmutantur, & aliud sunt: Sic corpus Christi post assumptionem mutatum esse in diuinam naturam: respondet orthodoxus: *ijisdem retibus, quæ tetenderas, captus.*

*Ex libro ad Gra-  
tianum.*

*Thesis 43.* *Dial. 2.* symbolorum in Cœna substantiam in Christi corpus & sanguinem verè conuerti: hac ratione non confutatueros fuisse Eutychis dogma, sed potius confirmatueros. Qua de re audi Theodoretum, qui cum Eutychianum introduxit ita ratiocinantem: quemadmodum panis & vinum aliud sunt ante consecrationem, post consecrationem vero transmutantur, & aliud sunt: Sic corpus Christi post assumptionem mutatum esse in diuinam naturam: respondet orthodoxus: *ijisdem retibus, quæ tetenderas, captus.*

*captus es. Mysteria enim symbola post sanctificationem non immuntur, ut propriam amittant naturam.* Ex quibus liquet, patres per duas res in Eucharistia distinctas, & cum duabus in Christo naturis comparatas, intellexisse duas substantias, symbola, inquam, & res signatas, id est, corpus & sanguinem Christi: id quod caput erat comparationis.

Consecrationem, qua verbis illis quatuor, *Hoc est corpus meum, eam tribuunt vim, ut ad pronunciationem illorum à Sacerdote factam, panis mutetur in corpus Christi, dixi Magicum quiddam præ se ferre.* Respondet aduersarius primū, *non alijs se verbis corpus Christi consecrare, quam quibus Christus consecraverit.* Quod quām verè ab illo affirmetur, ipsa consecrationis formula, qua vtuntur, ostendit, in qua verba Christi partim mutilarunt, partim suis commentis adiectis deprauarunt. Nam & verba illa Christi, *Quod pro vobis traditur, plena consolationis omittunt, & inter cetera hæc addiderunt. In sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum, ad te Deum patrem omnipotentem, &c.* quæ Christum neq; dixisse, nec factitas legimus. Idem de Canone sentiendum, sine quo Sacramenti consecrationem perfici posse negant. Hoccine est non alijs verbis corpus Christi consecrare, quam quibus Christus consecravit? Porro quod de arcana & velut Magica virtute dixi, quam verborum pronunciationi tribuant, confirmat Gabriel Biel, afferens, *consecrationem corporis in Sacramento fieri occulta aliqua virtute, non insidente ei, à quo fit, sed assistente: Secundum quem modum malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de sedibus, vel manubriis securium: quod non sit naturali virtute maleficorum, neq; ex eorum merito, sed virtute occulta, sine mala, siue bona assistente.* Quid est Magis comparare Sacrificulos Missifices, si hoc non est? Eodem pertinet, quod se creatores Christi profitentur. Sic enim idē Gabriel Sacerdotem gloriari posse ait: *Qui creavit me sine me, creatur mediante me. Nec verò eam esse voluit*

*Thesis 44.  
De cōsēcratiōne*

*Super Canonē  
Missæ lectio. 4.*

voluit verborum suorum virtutem Christus, vt ad pronuntiationem illorum panis substantia in corpus Christi conuertereatur, quemadmodum suprà est dictum, ybi & patrum sententiam de mutatione Sacramentali panis & vini exposuimus.

**Thesis 45.**

Quòd vos docere negas, ex sono & pronunciatione verborum vim & naturam Sacramenti huius dependere: audiatur idem ille Gabriel vester, qui rationem redditurus, cur in Missæ actione Canon tacitè mussitandus sit, non clara voce pronunciandus: *Fertur, inquit, quod cum antiquitus publicè & alia voce Canon diceretur, omnes penè per usum illum scribant, & in plateis & in vicis illum decantabant. Vnde cum quidam pastores in agro, pane super lapidem posito, Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conuersus est in carnem. Ipsi autem igne de Cælo acerimo diuino iudicio sunt percussi. Propter quod sancti patres statuerunt, ut de cætero Canon diceretur sub silentio.* Quòd si tanta est vis verborum Canonis, vt ad pronunciationem illorum panis conuersus sit in carnem: quis non videt, ex pronunciatione & sono verborum, non ex Christi institutione, Transsubstantiationem vestram pendere? Neq; enim Christus vel ipse vsus fuit Canone in consecrando, vel eo nos yti iusit. Cumq;, vt ipse ait, certam tum materiam Sacramenti huius tum consecrationis formam instituerit, in quibus natura Sacramenti consistit: quid est, quòd quidam vestrum scribunt, absq; Canone consecrationem non perfici, adeò vt qui illum omittant, ijs præter panem & vinum in hoc Sacramento nihil reliqui fiat?

**Colonenses in  
Antididagmate.**

**Thesis 46.**

Thesin hanc de præsentia Christi in Cœna, quem per vocem ministri efficacem esse, & per manum illius corpus & sanguinem suum vescientibus distribuere dixi, aduersarius ait, cum superioribus diababus proximis pugnare. Si enim, inquit, Christus actioni Missæ non solum interefiat, sed etiam praefiat, cur quatuor eius verbis: *Hoc est corpus meum: negatis panem in corpus mutari? Ego vero Christum actioni Cœnæ vel Sacrameti, non Missæ interefiat & praefiat?*

& præesse dixeram. Deinde non sequitur, Christus in Cœnâ præsens corpus & sanguinem suum per manum ministri vescenibus distribuit. Panis igitur in corpus Christi mutatur. Etenim & vult & potest Christus vel absq; transsubstantiatione corpus & sanguinem suum nobis in Coena distribuere. Nec de absoluta eius potentia hîc quæritur, sed de voluntate. Vnde nec ista tua consequutio valet: Christus in actione Cœnæ per vocem ministri est efficax. Ergo per vocem illius panis conuertitur in corpus Christi. Haec tenus enim per vocem ministri est efficax Christus, quatenus ex præscripto ipsius minister agit, id est, id facit, quod Christus in prima Coena tum fecit ipse, tum nos facere iussit. Christus autem neq; panem in corpus suum conuersum Deo Patri obtulit, neq; nos offerre iussit. Committis igitur paralogismum à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Verba institutionis in actione Cœnæ à verbi ministro cò Thesis 47. recitari dixeram, vt populus tum de substantia tum ysu Sacramenti huius doceatur. Id verò aduersarius improbat. Si verba Christi, inquit, è tantum recitantur, vt populus doceatur: quomodo ergo per vocem ministri est efficax? Quasi verò ociosa sit ceremonia actio Cœnæ, nisi in ea panis in ipsum Christi corpus conuertatur. Christus enim vt per Euangelii prædicationem, ita per verbum Sacramento annexum & in eo prædicatum est efficax, & in animis auditorum fidem accendit. Neq; enim verba institutionis in actione Cœnæ ab Ecclesiæ ministro ita recitantur, vt externè duntaxat aures feriant: sed Christus simul per verbum illud intus in animo veram sui & beneficiorum suorum agnitionem & fidem operatur. Cum enim in Cœna mortis suæ memoriā à nobis celebrari velit, quæ verbis Cœnæ velut compendio continetur & traditur: non sine fructu verba illa in Cœna recitantur. Deinde in actione Cœnæ per vocem ministri ita est efficax Christus, vt quod verbis institutionis promittit, id ve-  
tē præstet, id est, corpus & sanguinem suum in ea nobis distri-

**buat.** Ipse enim est, qui per os ministri hæc verba pronunciat.  
*Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, non secus ac in Bap-*  
**titismo ipse præstat, vt sit lauacrum regenerationis.** Nec aliud sibi  
 volunt patres, cùm in Sacramentis operandi vim tribuunt ver-  
 bis Christi: quām Christum id verè præstare, quod verbo Sacra-  
 mentis annexo promittit.

Tit.3.

**Thesis 48.**  
*De merito Missæ.*

Lectio.26.

Lectio.27.

Quod de Missæ merito Pontificij tradunt, contumelio-  
 sum esse dixi in Sacrificium Christi, eiusq; meritum abolere,  
 aut saltem obscurare. Ad quæ Antagonista. *Nihil nostri,* inquit,  
*de Missæ merito afferere potuerunt.* Itane verò? Audiantur ea de  
 re Doctores vestri, atq; in his Gabriel ille, cuins suprà feci men-  
 tionem. Is igitur ait, *meritum seu virtutem Missæ valere in triplici*  
*gradu: specialissimè, generalissimè, & specialiter.* Specialissimè tantum  
*valet, inquit, celebranti SALTEM DIGNĒ:* quoniam illi va-  
 let tanquam meritum æternæ vite ac premij essentialis, propter MO-  
 TVM EIVS CHARITATIVVM IN DEVVM, quo vult  
 celebrare ex charitate, finaliter propter Deum super omnia dilectum.  
 Hunc fructum alijs applicare non potest: quoniam et si quis potest alieri  
 mereri primam gratiam, aut gratia argumentum: nullus tamen po-  
 test mereri alteri primum esse entale, &c. Generalissimè valet toti Ec-  
 clesiæ. Specialiter fundatori & alijs personis, quibus Sacerdos pro arbitrio  
 vult applicare. Item. *Missæ sacrificium ait efficaciam suam ha-*  
*bere non ex bonitate Sacerdotis, sed ex institutione Christi & merito*  
*Ecclesiæ.* Hic certè meritum Missæ tribuit, idq; non semel. Dein-  
 de cùm addit, Missæ meritum specialissimè valere Sacerdoti ce-  
 lebranti saltem dignè: an non meritum & dignitas operantis in  
 rationem venit? Quid est ergo, quod hoc loco negas, *Missam ex*  
*opere operantis boni vel mali ministri vim & efficacitatem suam ha-*  
*bere?* Anné ad meritum vitæ æternæ sibi applicandum interest,  
 vtrum dignè celebret sacerdos: ad applicādam alijs Dei gratiam,  
 non interest? An ea est vis Missæ, quamuis à malo Ministro cele-  
 bratæ, vt ex opere operato alijs profit; celebranti verò non profit,  
 nisi di-

Nisi dignè celebret? Ac vide, quām id, quod hoc loco de opere operantis boni vel mali ministri scribis, cōsentiat cum eo, quod supra ad primam thesin respondisti. Cūm enim hīc neges, Missam ex opere operantis ministri vim suam habere: suprà tamen affirmasti, tam Sacerdotem, quām populum in Sacerdote sacrificium offerentem, ut alijs bonis operibus in Charitate factus, ita hoc quoq; nobilissimo religionis opere multa bona spiritualia ac corporalia PROMERERI posse. Quod opus dicitur OPERANTIS, & propriè sub MERITVM cadit. An hoc est nihil de Missæ merito afferere? nullum item meritum tribuere operi operantis ministri? Et quid aliud populus, cūm ista de Missæ merito audit prædicari, colligat, nisi eam esse vim Missæ, vt hac peccata expientur? Et vnde, quæso, foeda illa Missarum nundinatio, nisi ex opinione meriti?

Sed audiamus & alios Doctores vestros de Missæ vi & merito prædicantes. Innocentius ait, *Sacrificium Missæ offerri primum pro bonis corporalibus, ut pro incolumitate: deinde pro bonis spiritualibus, ut pro redemptione animæ, id est, ut ipse interpretatur, remissione peccatorum. Tū pro bonis eternis, ut pro salute.* Idem docet, *Sacrificium Missæ offerri ad purgationem & mundationem peccati originalis, criminalis, & venialis.*

Thomas ait, Missam valere contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam: ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offeratur ingiter pro nostris quotidianis delictis in altari: & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum, super omnia legis sacrificia, pretiosum & acceptum. Honorifica scilicet commendatio Sacrificij Christi in cruce oblati, vim eius ad expiationē peccati originalis restringere: actuallum verò peccatorum expiationem Sacrificio Missæ acceptam fert.

Eccius, in Missa, inquit, offerimus Deo patri Eucharistiam, non tantum sicut donum Dominicæ passionis memoriale, sed etiam sicut munus

De Missa lib. I.  
cap. 10.

**In fine lib. 3.** munus Deo acceptissimum, quo & Deum valeamus placare super offendis, & gratiam eius cum spiritualibus bonis reportare. Item. Per sacrificium Missæ effectus passionis Christi ad fideles instruunt, peruenient, & in eos descendunt. Item. Per sacrificium Missæ & viuis & mortuis in varijs necessitatibus subueniuntur.

**Lib. 4. panoplia  
cap. 46.**

Lindanus Missam autem esse proprij nominis sacrificium, non modo Eucharisticum aut commemoratum, sed etiam propitiatorium: & hoc tam pro mortuorum, quam viuorum delendis peccatis, immo pro qualibet adeo Christiani populi necessitate. Item. Missam esse sacrificium propitiatorium tam pro mortuis, quam pro viuis, veramq; pro peccatis hostiam: pro impetrandis deniq; cuiusq; generis à Deo beneficiis tam corporalibus, quam spiritualibus. Hoc ciné est meritum sacrificij Christi in cruce peracti, ut alis, statuere & illustrare? Et quorsum hoc loco illa tua Missæ cum Baptismo comparatio, qua ut Baptismi vis & efficacitas ex institutione Christi, non qualitate ministri, dependet: Sic Missæ vim aīs à cruento Christi Sacrificio proficiunt? Quid enim Sacramentis diuinitus institutis cum Missa vestra commune? Illa enim organa esse constat, per quæ Dominus salutem nostram operatur, & sua nobis beneficia applicat. At Missam vestram tantum abest, ut in his applicandi organis numeremus, ut in Christi Sacrificium eiusq; meritum contumeliosam esse, tantisper afferamus, dum tu contrarium è scriptis literis demonstres. Nam quia hoc loco contra 49. 50. & 51. theses de medijs seu organis applicandi meriti Christi repertis, in quibus & Missam numeras, suprà nobis sunt confutata: quorum summa huc redit, cùm penes unum Deum sit, ut pretium redemptionis destinare, sic eiusdem applicandi organa sancire: Missæ Sacrificium in his organis censeri non posse, quippe quod verbo Dei non solum destituatur, sed etiam aduersetur.

**Theſis 49. 50.  
& 51.** Thesis 52.

Negauit alium applicandi meriti Christi modum in Scriptura tradi, nisi verbum & Sacra menta, in quibus beneficia Christi nobis offerantur, quæ ut fructuosa nobis sint, sive à nobis sint ap-

sint apprehendenda. Respondet aduersarius, in Missa utrumq;  
coniungi, Sacrificium & Sacramentum, quorum utroq; benefi-  
cia Christi nobis offeratur. Nos verò haec tenus non semel osten-  
dimus, Missæ Sacrificium, cùm nulla Scripturæ auctoritate nita-  
tur, pro applicandi organo non esse habendum: tūm quoq; Sa-  
cramentum à Christo institutum ab ipsis mutilari paulò pòst  
ostendemus. Porrò falsum esse ait, quod dixi, non alium appli-  
candi meriti Christi modum in Scripturis tradi, quām verbum  
& Sacraenta. *Nam fide quoq;*, inquit, *pénitentia, dilectione, spe,*  
*obedientia, oratione, eleemosynis, perpeccione tribulationum, alijsq;* bo-  
nis operibus meritum Christi, teste *Scriptura*, nobis communicatur.  
Atqui nos fidem non excludimus, qua dicimus Christi benefi-  
cia, vt nobis sint fructuosa, apprehendenda esse. Est enim hæc  
manus instar, qua Christi beneficia in verbo & Sacramentis ob-  
lata, apprehendimus & nobis applicamus. Ut enim non satis  
est mendico donum offerri, sed ipse manum quoq; extendat  
necessè est, ad apprehendendum, quod offertur, donum: sic, vt  
oblatis Dei beneficijs fruamur, fide est opus. Ad bona opera  
quod attinet, negamus per ea meritum & beneficia Christi no-  
bis applicari. Paulus enim reconciliationem honinī cum Deo  
seu iustificationem (quæ caput est beneficiorum Christi) fidei  
tribuit, exclusis bonis operibus. *Quem (Christum)* inquit, *Deus* Rom. 10.  
*Proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Item. *Concludi-*  
*mus igitur, hominem iustificari fide, absq;* operibus legis. Idem con-  
firmat testimonio Dauidis, & Abrahami exemplo. Similiter Rom. 4.  
Marc. 16.  
Christus, *Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*  
Item. *Vi omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam ater-  
nam.* Et Petrus, *Huic*, inquit, *omnes Prophetæ et testimonium ferunt,* Johan. 3.  
Acto. 10.  
*quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis*  
*crediderit in eum.* Cuius fidei effecta seu fructus sunt bona opera,  
quæ, vt Augustinus ait, sunt iustificatorum, non iustificaditorum. Rom. 5.  
Gal. 5.  
*Vt enim arborem prius bonam esse oportet, quām bonos pro-* Defide & op-  
ribus cap. 14.

ferat fructus: sic personam antè reconciliatam esse, ac Deo placere necesse est, quām ullum opus bonum Deo gratum præstet. Ac quamuis cum fide iustificante semper coniuncta sint bona opera: non est tamen his tribuendum communicandū me, quod illius est proprium. Cumq; vel sanctissimorum hominū opera sint imperfecta, imò peccati sordibus inquinata, non possunt illis niti sancti, nec ea iudicio Dei opponere audent. Vnde Paulus, singulare pietatis exemplar, nullius quidem sceleris sibi consciū esse ait: ob id tamen iustificatum se esse negat. Et David iudicium Dei & accuratio rem illam vitæ actionumq; suarum ex Legis norma disquisitionem deprecatur. Quod si ex nostris bonis operibus de Dei erga nos favore & gratia statuendum esset, non solum dubitandum de ea nobis foret, sed etiam desperandum. Itaq; verissimū est, quod nostri docent, solam fidem, id est, fiduciam in Christi merito acquiescentem, esse instrumentum illud, quo Christi beneficia, & in his potissimum remissio peccatorum & reconciliatio nostri cum Deo, apprehendantur. Et Patres ipsi hac exclusiva in hoc argumento vni leguntur, quorum testimonia à nostris collecta extant. Interea non negamus, Deum fidelium bona opera præmijs tam spiritualibus quām externis remunerari: tametsi hæc præmia non tam operibus (quippe imperfectis) quām fidei, qua persona Deo est reconciliata, tribuuntur. Ea namq; est Dei erga fideles benignitas, vt quos in Filio complectitur, eorum opera quoq; licet imperfecta remuneretur, ac suis compenset præmijs. Quæ quidem de bonis operibus lege Dei mandatis accipi volumus, non de ~~sponte~~  
*Spontētate* & operibus bona, vt loquuntur, intentione susceptis: in quibus poenitentiam Pontificiorum magna ex parte numeramus, quam cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione definiunt: eas item tribulationum perpessiones, quas vel sponte sibi irrogant homines, vel animæ defunctorum in igne purgatorio sustinere dicuntur ad expianda peccata. Quæ opera

Rom. 7.  
Iesa. 64.  
Daniel. 9.  
Acto. 23.  
1. Cor. 4.

Psal. 143.

Match. 25.  
1. Timoth. 4.

Opera tantum abest, ut pro applicandi meriti Christi organis habemus, ut ceu superstitiosa & in meritum Christi contumeliosum Christo & Apostolo ipsius damнемus. Quod porrò ais,  
*ut Sacramēta nobis sint fructuosa, etiam dolore de commissis peccatis,*  
*dilectione Dei, proposito emendande vita, oratione, alijsq[ue] bonis operibus Deum nobis conciliandum esse: mirum, si id consentit cum ijs,*  
*quaē de Sacramentorum fructu & gratia ex opere operato, sine bono motu vtentis, collata, Scholæ vestræ docuerunt. Sic enim Gabriel, Sacramentum, inquit, dicitur conferre gratiam ex opere operato, ita quod ex eo ipso, quod opus illud, puta Sacramentum, exhibetur. nisi impedit obex peccati mortalis, gratia confertur vtentibus, sic quod præter exhibitionem signi foris adhibiti, non requiritur bonus motus interior in suscipiente.* Quod si ad Sacramenti fructum percipiendum non requiritur bonus motus in suscipiente: quotsum opus fuerit vel dolore de commissis peccatis, vel dilectione Dei, vel alijs bonis operibus, ad apprehendendam Dei gratiam in Sacramentis oblatam.

Matth. 19.  
Col. 2.

Distinct. t.  
quaest. 3. lib. 4.

Sed age locos Scripturæ à te citatos videamus. Matth. 19. Christus adolescenti prædiuiti & ambitioso, de vita æterna legis operibus promerenda sciscitanti respondet ex lege, ad quaestionem illius responsionem suam attemperans. Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Quo illum ad agnitionem morbi sui vult adducere, quippe iustitiae ac disciplinæ externæ persuasione fascinatum. Alioqui si peccati sensu anxium & perturbatum animaduertisset, non remisisset ad Legem, sed Euangelij consolationibus illum recreasset, non minus quam mulierem illam peccatricem, & latronem in cruce. Ex eo autem non sequitur, nos legis diuinæ obseruatione & obedientia nostra vel vitam æternam promereri, vel Christi meritum nobis applicare posse. Est enim vita æterna donum Dei. Et si fecerimus omnia, *Rom. 6.* *Luc. 17.* quæ præcepta sunt nobis, serui inutiles sumus.

Luc. 11. de precibus & earundem vi & vsu disserit Christus,

docens, his omnis generis bona à Deo impetrari. Verum id non simpliciter de quorumlibet, sed fidelium precibus est accipendum, de quibus idem Christus: Omnia, inquit, quæcunq; petieritis credentes, accipietis. Nam hypocritarum preces damnantur, immò in peccatum vertuntur. Prælucente igitur fide de gratuita peccatorum remissione & reconciliatione propter Christum Mediatorem, preces nostræ & gratæ sunt Deo, & quiduis impetrant, quod ex re & vsu salutis nostræ fuerit.

**I. Cor. 9.** Paulus fideles hortatur, vt in eo, quod semel ingressi sint, pietatis stadio, inoffenso gradu progrediantur, donec præfixam salutis metam attingant: sumpta similitudine ab ijs, qui in stadio decurrunt, & summo labore ad metā contendunt, vt exoptato præmio potiantur. Ex eo autem non sequitur, nos vitam æternam nostro cursu vel laboribus mereri, aut nobis applicare. Non enim est currentis neq; volentis, sed miscentis Dei. Quanquam, vt modò dixi, Dominus fidelium opera & labores pro sua cuiusq; vocatione remuneratur, non ex vi & merito operum, sed pro paterna sua bonitate, & quia promisit. Idem iudicium est de altero loco **I. Timo. 6.** vbi Apostolus instruit diuites, ne elato sint animo, néue spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo viuente, vt item diuites sint bonis operibus, & benignè faciant egenis. Sic enim fore, vt fundamentum bonum sibi recordant in posterum, & vitam æternam apprehendant. Vbi vita æterna non tanquam meritum beneficentia accepta fertur, sed fiducia tribuitur, quæ ponitur in Deo viuente, ex qua beneficentia reliquaq; bona opera manant: quæ licet præmijs suis minimè fraudulentur, non sunt tamen horum meritoria. Estigitur paralogismus secundum non causam, ut causam: Deus fidelium opera bona remuneratur. Opera igitur nostra præmia illa merentur.

**Iaco. 2.** Ad Iacobi locum quod attinet, attendendus est eius scopus. Nam Iacobo propositum fuit, non quemadmodum homo coram

coram Deo iustificetur, docere: sed vim & naturam veræ fidei describere. Cum enim vulgo hic error inualuisset, qualem cunq; fidei professionem ad Christianismum sufficere, Iacobus vanam hanc persuasionem redarguit, & ciusmodi requirit fidem, quæ actuosa sit & operosa, quæq; adeò suos edat fructus, id est, bona opera, ex quibus alij quoq; perspiciant & cognoscant, nos verè coram Deo iustificatos esse. Talem fuisse docet fidem Abrahami, quam is præclaro illo opere, quod filium iussu Dei immolare vellet, declarauerit. Quo quidem opere Abrahamum ait iustificatum fuisse, id est, coram hominibus iustum declaratum, atq; adeò sui iustificationem, quam coram Deo per fidem adeptus esset, hominibus quoq; approbabisse & demonstrasse. Quæ declaratio fit per bona opera. Sic enim Iacobus se ipse interpretatur. Ostende mihi, inquit, fidem tuam ex operibus tuis: & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam. Et Angelus de Abrahami facto: Nunc cognoui, inquit, quod timeas Deum. Iacobus igitur verbum iustificari idem significat, atq; iustum declarari, ut homines cognoscant, nos coram Deo fide iustificatos esse. Nam fidem operibus vacuam, id est, notitiam historiæ ad iustitiam minimè sufficere, quam Iacobus fidem mortuam appellat, & dæmonibus quoq; tribuit.

Eccles. 15. & 27. commendatur nobis studium pietatis & bonorum operum: quod & nos commendamus, & bona opera docemus necessariò facienda esse, propter mandatum Dei, & ad declarandam nostram erga Deum gratitudinem, & fidem hominibus testificandam: tum etiam, quia Deus illa præmijs compensat. Sed vim merendi & iustificandi vel meritum Christi nobis applicandi bonis operibus cum Scriptura derogamus: idq; ut Christo suus constet honor illibatus, & ut conscientiæ firmam habeant consolationem, quas angu & trepidare necesse est, simulatq; opera sua in iustificandi rationem apud Deum venire audiunt. Etsi enim permagna est bonorum operum dignitas:

Iaco. 2.

Genes. 22.

1. Timo. 4.

Rom. 3. &amp; 10.

Iaco. 2.

Psal. 35.

**eo tamen honore illa Deus non dignatur, vt per ea vitam æternam mereamur, vel meritum Christi nobis applicemus.**

**Thes. 53. 54.  
& 55.**

De Missæ fructu attingo, quem aduersarij ad mortuos quoq; aiunt redundare. Quem errorem refello à proprio fine Coenæ, quam institutam esse dico pro viuis, qui illa vti, & mortem Domini recordari atq; annunciare possunt. Cui sententia nostræ aduersarius opponit Antiquitatem, & consuetudinem omnium seculorum. Nos verò potius requirimus è Scriptura sacra Canonica vel Dei mandatum, vel promissionem, vel exēplum de oblatione pro defunctis. Neq; enim in fidei negocio vel hominum auctoritatem vel consuetudinem (quæ si à verbo recedat, non aliud quām vetustas erroris est, Cypriano teste) verbo Dei anteponendam censemus. Quanquam si Antiquitatem consulamus, nihil illa Missis vestris, & carundem pro mortuis applicationi patrocinatur. Constat enim ex Tertulliano, Cypriano, & alijs patribus, olim more receptum fuisse, vt defunctorum nomina in Eucharistia recitarentur, adderentur & preces seu vota, quibus fideles tum vita defunctis beatitudinem ipsorum gratularentur, tum fidem suam & spem beatæ immortalitatis palam profiterentur, non vt precibus istis animas defunctorum peccatis expiant, vel poenis, quas in igne luerent purgatorio, liberarent. Nam disertè testantur patres illi defunctos, pro quibus orant, iam nunc beatitudine frui, nec de salute ipsorum se dubitare.

**Lib. 4. epist. 5.**

Sic Cyprianus oblationum & sacrificiorum meminit, quæ pro martyribus celerabantur. Quo nomine quid intelligat, ipse declarat, cùm ait: *Sacrificia pro eis (martyribus) semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* An verò pro martyribus Sacrificia siebant, ad subleuandum eos, vt beata quiete fruerentur? Porro consuetudinem hanc, orandi & offerendi pro defunctis, Tertullianus disertè testatur, extra traditione, non è Scriptura sacra manasse,

**De corona militis.**

manasse, & inter eas resert ceremonias, quarum libera est obseruatio. Quæ cùm in sequentibus seculis in superstitionem abierit, merito à nostris fuit abrogata.

Quod de Aërio addit, cuius hæresi nos facit affines, vt qui cum illo negemus, oblationes defunctis prodefesse: respondeo, Aërium, vt ex Epiphanio apparet, non de Missarum oblationibus, sed de precibus pro defunctis disputationem mouisse, num quid emolumenti ex illis ad defunctos rediret. Cùm enim, vt modò diximus, olim à fidelibus preces pro defunctis conciperentur, ad testificandam tum suam erga defunctos charitatem, tum de beata immortalitate fidem: Aërius has fidelium preces ita interpretatus est, quasi defunctis, qualescunq; tandem seu pijs seu impijs in hoc mundo fuissent, salutē æternam à Deo impenetrarent. Quam absurditatem ex illa pro defunctis orandi consuetudine Ecclesiæ tunc recepta Aërius falsò collegit, & per calumniam Ecclesiæ tribuit: cùm longè aliud esset Ecclesiæ usurpandis precibus illis consilium. Quidverò hæc Aërij disputatio ad Missarum pro defunctis oblationes Pontificijs hodie receptas, quibus animas defunctorum aiunt ignis purgatorij pœnitis releuari?

Ad Iudæ Macchabæi factum quod attinet, quo suas Misericordias pro defunctis oblationes aduersarius stabilire conatur: non ignorat, testimonium ex libro apocrypho productum ad confirmandum fidei dogma nihil habere auctoritatis, idque de Antiquitatis sententia. *Macchabæorum libros*, inquit Hieronimus, legit quidem Ecclesia, sed eas inter Canonicas Scripturas non recipit. Et author eius libri, ex quo testimonium illud citatur, non dissimulat, quantum sibi sit trituendum, quando ad finem libri veniam sibi dari postulat, si quid minus recte exposuisset. Quod certè non est eius Scriptoris, qui Spiritus sancti instinctu res sacras literis mandat. Porro non quid fecerit Iudas ille, quæritur; Sed num recte fecerit, qui sacrificium pro mortuis curauerit;

Lib. 3. de hæres.  
hæx. 75.

In prefat. libro  
rū Solomonis.

uerit offerendum. Non enim exemplis, sed legibus est iudicandum. Cumque inter tota tam varia Sacrificiorum genera, à Moysi descripta, nullum extet pro mortuis institutum atq; mā-  
datum; promptum est colligere, quo loco habendum sit hoc lu-  
dæ Macchabæi Sacrificium. Itaq; non valet illa aduersarij com-  
paratio, *Si in veteri lege Iuda Macchabæi Sacrificium profuit defun-  
ctis: quanto magis prodeesse debet in noua lege Sacrificium Missæ?* Ut  
enim concedamus (quod è Scripturis doceri nequit) Iudam re-  
ctè & ex legis præscripto fecisse: cùm tamen Sacrificia Leuitica  
Christi aduentu abrogata fuisse constet: quorsum illud ad no-  
uum Testamentum transfertur? Neq; enim Sacrificia Leuitica  
Missam Pontificiam, sed Sacrificium Christi cruentum semel  
in cruce oblatum nec vñquam iterandum, adumbrarunt, vt su-  
præ est dictū. Idem iudicium est de Augustini testimonio, quod  
hoc loco ab aduersario citatur. Constat enim Augustinum quæ-  
stionem hanc variè disputare, nunc affirmare, nunc negare, vti  
necessè est facere eum, qui sacrae Scripturæ auctoritate destitui-  
tur. Quapropter bona ipsius pace repudiamus, quod cum Scri-  
ptura Canonica non congruit: id quod ipse sibi de Cyprianili-  
teris permittit.

*contra Crescon.* *Johann.* *Rom. 5.* *Tractat. 1. contra Demetrian.*

Quòd deniq; ais eos, qui in vera fide & gratia ex hac vita de-  
cesserint, fructuum Sacrificij esse capaces, quorsum opus habent Mis-  
sæ fructibus hi, qui in vera fide & gratia Dei dececerunt? Hi  
namq; iam nunc beatitudine æterna fruuntur. Qui credit in me  
(inquit Christus) non venit in iudicium, sed per mortem tran-  
siit in vitam. Et Paulus: Iustificati fide, inquit, pacem habemus  
erga Deum. Et Cyprianus, *Quando*, inquit, *istinc ex hac vita ex-  
cessum fuerit, nullus iam locus pænitentia est, nullus satisfactionis ef-  
fectus. Hic vita amittitur aut tenetur: hic saluti æterne cultu Dei &  
fructu fidei prouidetur.*

*Thesis 56.* A duplice hominum defensorum conditione probauimus  
illos ex Missæ Sacrificio nihil sentire alleuamenti. Pios enim  
præsenti

Præsenti vita defunctos beatitudine frui: impios vero cruciati-  
bus torqueri sempiternis: medium locum non esse relictum, in  
quo animæ mortuorum à peccatis expientur. Quibus aduersa-  
rius opponit locum Matthæi de peccato in Spiritum sanctum.  
neq; in hoc neq; in futuro seculo remittendo. *Ex quo veteres ait*  
*collegisse*, medium locum relictum pro quibusdam nos valde malis,  
quibus peccata leuiora, quibus cum deceperunt, per orationes, elemosy-  
nas, & Sacrificium Ecclesia remittantur. Atqui non desunt patres  
veteribus illis vetustiores, qui ex hoc Christi dicto nihil tale col-  
legerunt. Athanasius enim ex professo & copiosè locum illum  
tractans, itemq; Hilarius, Hieronymus, & Chrysostomus in eius-  
dem loci enarratione, neq; medij illius loci, neq; remissionis  
peccatorum, quæ post hanc vitam fiat, meminerunt. Cumque  
Christus de remissione peccati, id est, culpæ, illic differat, & Scho-  
lastici ipsi negent in altera vita culpam remitti: quis non videt,  
locum hunc perperam ad stabiliendas ignis purgatorij poenas  
detorqueri? An enim peccatum remitti idem declarat, atque  
poenas & cruciatus in igne purgatorio exoluere? Sanè si vestra  
recipitur explicatio, hæc fuerit loci illius sententia, quoddam  
peccatum in futuro seculo remitti, id est, quorundam peccato-  
rum poenas in igne purgatorio exposci. Cumq; Christus dica-  
tur remissionem peccatorum nobis promeruisse: id perinde  
fuerit, ac si dicatur poenas & tormenta ignis purgatorij nobis  
promeruisse, quibus ipsimet pro peccatis satisfaciamus. Quo  
nihil magis gratuitæ peccatorum remissi & satisfactioni per  
Christum partæ aduersatur. Porro genuinam loci illius senten-  
tiam nobis Marcus explanat, qui quod Matthæus amplificandi  
causa dicit, neq; in hoc neque in futuro seculo remitti, Marcus, *Marc. 3.*  
simpliciter non remitti in æternum ait, sed obnoxium esse æter-  
no iudicio. Cui consentit Chrysostomus, qui super locum illum  
Matthæi scribens: *Vniuersorum hominum*, inquit, *alij & hic & ibi*  
*suplicia dabunt: alij in præsenti solummodo vita, alij in futura tan-*

tum. Hic & alibi, ut Sodomite & Pharisæi: in præsenti tantum, ut scortator Corinthius: alibi tantum, ut diues ille in inferno. Quibus verbis poenas peccatorum ita distribuit, ut fideles, si quando delinquent, affirmet in præsenti solum vita castigari: post mortem vero non aliam agnoscat poenam, nisi eam, quæ est damnatorum: velut Sodomitarum, Pharisæorum, & diuitis epulonis. Et quid est, quod ais, peccata leuiora in loco illo medio per orationes, elemosynas, & Missas remitti? Si enim id de culpa remissione intellegis, Scholaftici tui refragantur, qui villam culpam post hanc vitam remitti negant. Sin de poena remissione, ita ut poena æterna commutetur in temporalem in igne purgatorio luendam: quæ iſſhæc est crudelitas vestra, committere, ut leuiora illa peccata tam diris subjiciantur tormentis, quæ multò lenioribus remedijs, velut aspersione aquæ benedictæ, indulgentijs, & similibus nugis in hac vita vel certè in mortis agone, curari poterant? Imò quæ ista est remissio peccati, quæ orationibus & elemosynis est promerenda, atq; etiam satisfactionibus compensanda?

Ad auctoritatem Augustini, cuius hoc loco testimonium profers, respondi suprà, illum in hoc argumento sibi haud constare. Nam possunt ex eodem testimonia proferri ijs, quæ à te ci-

De peccatorum  
meritis & re-  
missione lib. i.  
cap. 28.

tantur, contraria. Sic enim idem Augustinus: *Nec est, inquit, ul-  
lus vlli medius locus, ut posſit esse nisi cum diabolo, qui non est cum  
Christo.* Item. Primum fides Catholicorū diuina auctoritate regnum  
esse credit cœlorum: secundum, gehennam, ubi omnis apostata, vel à  
Christi fide alienus supplicia experitur. Tertium penitus ignoramus,  
nec esse in Scripturis sanctis reperimus.

Thes. 57.58.  
& 59.

De Missis priuatis differo, in quibus solus Sacerdos communicat. Quam communicandi rationem ostendo ab institutione Sacramenti huius esse alienissimam. Respondet aduersarius, Sacerdotem dum solus Sacramentum Missæ peragit, neminem à fructu Sacrificij excludere, quantumvis edere & bibere nolit. Atqui suprà ostendimus, & Sacrificium Missæ & Sacerdotes Missam celeban-

celebrantes vnicō Christi Sacrificio simul & sacerdotio aduersari, nedū vt ex eiusmodi opere vllus fructus spiritualis ad quemquam redeat. Quòd addit, neminem à Cœnæ communione per Sacerdotem arceri, imò omnes inuitari: res ipsa & praxis Ecclesiæ Pontificiæ contrarium clamat. Etsi enim populum vi non repellitis à communione: cùm tamen doceatis, Missæ Sacrificium vel absq; communione constare posse, nec minus emolumenti ex Missæ solitariæ spectaculo, quām Sacramenti sumptione, ad populum redire: nōnne hoc pacto ab vsu Cœnæ populum auocatis? Imò cùm doceatis, Cœnæ vsum graui cum periculo indignæ manductionis esse coniunctum, quod quidem periculum in Missarum spectaculis non sit metuendum: annē id populum est ad crebriorem Cœnæ vsum inuitare? Et cur non potius omissa sacrificandi actione, de qua nullum extat Christi mandatum, Cœnam populo distribuitis ex Christi præscripto, & de legitimo eius vsu populum ex verbo Dei docetis? Quòd si tanto studio legitimū Cœnæ vsum, quanto Missæ Sacrificium, populo commendaretis: non dubium, quin populus in Eucharistia crebriūs participāda officiū elset facturus. Verūm vberior vobis quæstus fuit ex Missarum nundinatione, populo de vi & fructu illarum falsò persuaso. Non igitur hīc locum habet illud Augustini à te citatum: *Aliud est, quod docemus: aliud quod sustinemus: aliud quod emendare precipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.* Neq; enim satagit vñl de vero Sacramenti vsu populum docere, vel emendare abusus & superstitiones, quæ in hoc Sacramentum temporum iniuria irrepserunt.

Negaui Missæ priuatæ fructum ipso Sacrificuli opere alijs applicari posse. Vt enim nemo pro alio vesci possit, vt alius saturetur: ita Sacerdotem pro alio Sacramentum percipere non posse, vt eius fructus ad alium redundet. Vbi aduersarius iterum Missæ priuatæ nomen auersatur, quod à Doctoribus Pontificijs non semel usurpatum legitur, vt suprà ostendimus. Deinde

*Missa fructum alijs applicari ait, non ipso opere Sacerdotis communi-  
 cantis, sed nobilissimam hostiam Deo patri pro alijs offerentis. Nos  
 verò neutro modo Christi beneficia alijs applicari dicimus. Cō-  
 stat enim Sacra menta ijs solūm prodeſſe, qui illis legitimè vtun-  
 tur. Et vt nemo pro alio baptizari, ita nemo pro alio Cœnam  
 percipere potest. Quòd si Sacramentum diuinitus institutum  
 pro alio sumi nequit: multò minùs Missæ Sacrificium pro alijs  
 offerri, atq; per id Christi beneficia alijs applicari possunt: quòd  
 id genus Sacrificium verbo Dei destituatur. Nam quòd propri-  
 um Sacerdotis eſſe ait, pro ſe & alijs ſacrificare: de Sacerdotibus Le-  
 uiticis concedo, de quibus & locus ille Hebr. 5. ab aduersario ci-  
 tatus loquitur: qui cùm oblationibus ſuis Christi ſacrificium  
 ſemel in cruce factum adumbrârint, huius aduentu vmbrae il-  
 læ euanuerunt, eodem Apostolo teste, Hebr. 7. & 10. Quòd ad-  
 dit, populum ſepe orare & eleemosynam dare pro ſe & alijs, quo opere  
 non modo ipſe populus, ſed alij quoq; famelicī ſpiritualiter & corpora-  
 liter ſaturentur: respondeo, cùm non pro nobis ſolūm, ſed pro  
 alijs quoq; orare iubeamur, nec irritas fore has preces Deus pro-  
 mitrat: de Missæ autem Sacrificio alijs applicando nullum Dei  
 mandatum, nulla item promissio extet: quis non magnam in-  
 ter hoc & illas diſsimilitudinem agnoscit? Nec verò ita pro alijs  
 oramus, vt ipſo orandi opere illis quicquam promereamur, aut  
 remiſſionem peccatorum atq; ſalutem aternam à Deo impe-  
 tremus, etiam ſi ipſi in impietate permanerint: ſed quia fiducia  
 Christi Mediotoris hæ preces nituntur, gratæ ſunt Deo, & tum  
 nobis tum alijs bona impetrant. Similiter eleemosynas no-  
 stras & alia bona opera diuinitus mandata & ex fide profecta,  
 Deus ſepenumero tam largè remuneratur, vt illorum fructus  
 & præmia ad alios quoque redundant. Nec tamen eò uisque  
 extendendus eſt ille vel precum pro alijs conceptarum vel bo-  
 norum operū fructus, vt alijs quantumuis impijs vel ſine ipſo-  
 rum poenitentia & fide, remiſſionem peccatorum, ſalutem, &  
 vitam*

Vitam æternam impetrant. Iustus enim fide sua viuet. Et unus quisq; mercedem accipiet iuxta suum laborem. Constat alio- qui Deum propter pios impijs quoque benignè facere, sicut exempla Naamani, Sodomitarum, & aliorum testantur. Quod quidem de bonis externis est accipiendum.

Eam communicandi rationem, qua solus Sacerdos Sa- Thes. 61. cramentum sumit, nulla Antiquitatis auctoritate niti dixeram.

Aduersarius verò aliquot Antiquitatis exemplis illam probare conatur. Nam ex Augustino adducit primum exemplum He-

sperij, cuius domus rustica à dæmonibus vexata, facto Sacrificio, in De ciuitate Dei lib. vlt. cap. 8.

integrum sit restituta. Item exemplum defunctæ matris Augu-

stini, pro qua oblatum sit Sacrificium, cadavere iuxta sepulcrum Confess. lib. 9. cap. 12.

collocato. Ad Hesperij exemplum quod attinet, constat ex eo.

dem Augustino, quæ id temporis visitata fuerit celebrandæ Coe-

næ ratio, quæ distributione & participatione corporis & san-

guinis Christi constaret, sicut suprà thes. 17. & 18. ostendimus.

Itaque dubium non est, quin Sacerdos ille ab Hesperio accer-

situs domi ipsius Eucharistiam celebrauerit, qua corpus & san-

guinem Christi Hesperio eiusque familiæ distribuerit, adhibi-

tis precibus, quibus auxilium diuinum aduersus Satanae præ-

stigias & machinationes implorârint. Ad quas preces Satan

domo illa cesserit. De matre Augustini nota est consuetudo,

cuius & suprà memini, qua olim receptum fuit, vt in Euchari-

stiae administratione nomina defunctorum recitarentur, ad-

hibitis precibus, tum ad gratulandam defunctis beatitudinem

ipsorum, qua iam nunc fruerentur, tum ad excitandam viuo-

rum fidem & spei beatæ immortalitatis, tum denique ad te-

stificandam fidelium tam defunctorum quam viuentium, ve-

lut membrorum eiusdem corporis sub Christo capite inter se

societatem, cuius societatis symbolū & pignus est Eucharistia. Sic

Augustinus refert, matrem suam moriturā sui memoriam fieri

voluisse ad altare: non quod crederet, Missarū oblationibus se à

peccatis & purgatorij poenitentia expiatum iri. Nam de remissione  
 peccatorum & beatitudine tum ipsa tum filius ipsius certus erat,  
 quemadmodum eximia illius confessio ibidem descripta testa-  
 tur. Non igitur sequitur, Si veteres Sacrificiorum & oblationum  
 faciunt mentionem, Missaticas intelligendas esse oblationes, in  
 quibus Sacerdos solus communicabit, & corpus Christi Deo  
 obtulerit pro peccatis viuorum & defunctorum.

Nicephori, cuius testimonium citas, non est tanta au-  
 toritas, quippe recentioris Scriptoris, ut quicquid ille literis prodi-  
 dit, pro oraculo habeamus. Quotidiana illa offerendi Sacrificij  
 consuetudo, cuius meminerunt Hieronymus & Augustinus,  
Hieron. in 1.  
cap. ad Tit.  
Augustin. epist.  
118.  
 non aliud fuit, quam distributio Eucharistiae. Nam id temporis  
 Ecclesiae ignota fuit illa communicandi ratio, qua solus Sacer-  
 dos Coenam perciperet. Nec apex è Scriptis Hieronymi, Am-  
 brosii, Chrysostomi, & Augustini proferri potest, quo solitaria  
 illa communicandi offerendiq; ratio probetur. Siue igitur quo-  
 tidie, siue statim dierum interuallis veteres Coenam administra-  
 runt, vel, ut ipsi loquuntur, Sacrificium obtulerunt, seu in fre-  
 quentiore seu rariore populi coetu: nunquam defuerunt è po-  
 pulo, qui communicarent, nec vñquam Coena apud veteres  
 absq; distributione peracta fuit.

Ad refellendum solitariam illam Sacerdotis communi-  
 cationem citaueram locum Chrysostomi, qui *Frustra*, inquit,  
*habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet.* Quo  
 populi redarguit in percipienda Coena negligentiam, docens,  
 frustra illam quotidie à verbi ministris institui & apparari, cùm  
 nulli vel certè paucissimi sint, qui illā participare velint. Quem  
 Chrysostomi locum aduersarius ita deprauat, quasi non neget  
 simpliciter Chrysostomus, quotidianam oblationem fructu  
 suo non carere, etiamsi præter Sacerdotem nemo communi-  
 cet. Cùm enim ex aduersarij sententia duplex sit Coenæ usus,  
 tum vt in ea corpus Christi Deo offeratur, tum vt populus Sa-  
 cramen-

Thesis 62.  
 In epist. ad Eph.  
 Hom. 3.

Cramentum p̄cipiat: posteriore hoc fine populum ait frustrati, nisi communicet. Sed plana sunt verba Chrysostomi, quibus docet, frustra haberi & celebrari quotidie Eucharistiam, si nemo sit, qui participet: refrigescente nimis populi feruore & Coenæ percipiendæ desiderio, adeò ut nonnulli quotannis vix semel sumant. Non igitur his verbis approbat Chrysostomus eam oblationem, in qua nulla fit distributio, nulla sumptio (populi respectu) sed solus Sacerdos vescitur. Quam communi-candi rationem constat Chrysostomi tempore Ecclesiæ fuisse ignotam.

Ad Canonem illum à me obiectum, peracta consecratione, Thes 53.  
*omnes communicent, qui noluerint Ecclesiæ sacerdotibus carere liminibus:*  
 aduersarius, utinam, inquit, à multis seculis, sine huic sine simili Ca-noni obtemperatum esset. Item. Reuocetur in usum, per nos licet. Imò per eos stetit, quò minus ex Canonis huius prescripto populus crebriùs Coena vteretur. Si namq; pro eo ac decebat, de legitimo Sacramenti huius usu & de applicandis non nisi sua cuique sumptione beneficijs Christi populum doctiissetis, non is officio suo defuisset in Sacramento hoc crebriùs participando, quemadmodum suprà Thes. 57. 58. & 59. est dictum. Porrò quòd hoc se-culo vestrorum hominum labore & diligentia effectum esse prædictas, ut in præstantissimis quibusq; Europa, Indiarumq; urbibus omnibus Dominicus festisq; diebus magnus communicantium numerus conspi-ciatur, parum hoc pacto consultum est Ecclesiæ ijs in locis, cùm innumerios errorum de Missæ Sacrificio retineatis, populoq; inculcetis. Imò cùm Missas priuatas nihilominus ijsdem in locis obseruetis, quas & Concilium Tridentinum confirmat: quis credat, vos serìo agere in corrigendis Ecclesiæ vitijs? Ac quod de Indiarum urbibus iactas à Paganismo ad Missarum celebratio-nem traduetis, perinde illis accidit, atq; profelytis illis Iudæo-rum, qui deserto Ethnicismo, Pharisaorum amplectebantur superstitiones.

Seff. 6.  
Cap. 6.

Matth. 23.

Thesis 64.

De mutilatione  
Cœnæ.

Gal.3.

De mutilatione Cœnæ, qua laicis, quos vocant, alteram  
Cœnæ partem, id est, calicis usum eripiunt: respondet aduersarij,  
rius, nullam se mutilationem in Sacramento Cœnæ agnoscere, quod  
tantundem laici sub una specie, quantum Sacerdotes sub utraq;  
percipient, nempe integrum Christum & parem Sacramenti fu-  
ctum. Quis vero hic non pudorem in aduersarijs desideret, Sa-  
cramentum mutilatum non agnoscentibus, dempta eius parte  
substantiali? Quis enim ignorat, ad substantiam Cœnæ pertine-  
re, praeter corpus & sanguinem Christi, elementa seu symbola  
panis & vini? Et quid est Christi sapientiam suggestare, si hoc  
non est? Cum enim Christus Sacramenti huius integratem  
ita sanxerit, ut corpus & sanguinem suum sub distinctis symbo-  
lis panis & vini nobis distribui velit: isti alterum signum ceu su-  
peruacaneum auellunt. Rationem si quereras, audis: quia integer  
Christus non minus sub una, quam sub utraq; specie, distribua-  
tur, vel ut noster ait, quia *corpus Christi à sanguine, & sanguis à cor-*  
*pore, sine sub una, sine sub utraq; specie distribuatur, diuelli nequeat.*  
Quod si ita est, an ne Christus, cum Cœnam institueret, id igno-  
ravit? Cur ergo utrumque elementum in Cœnæ actione coniun-  
ctum voluit? Quæ vero ille voluit coniuncta, eâne nobis fas est  
diuellere? Quod si hoc pacto argutari libeat, cum in simplici  
prædicatione verbi quoque integrum Christum percipiamus,  
quid impedit, quo minus Cœnam totam abrogemus? Cum  
item in Baptismo Christum induamus, teste Apostolo, cur non  
Baptismo sumus contenti? Quid insuper Cœnam requirimus?  
Sin autem ea in re nobis habenda est mandati diuini ratio, ut  
quia prædicationi verbi & Baptismo Christus superaddidit Cœ-  
nam, hanc pari reverentia suscipiamus: quid ni eadem hic va-  
leat mandati diuini ratio? Porro quod in eo differre ait à laico Sa-  
cerdotem, quod huius, quam illius communio pleniorum habeat signi-  
ficationem, sed quæ non mutat rationem Sacramenti: ubinam, quæ-  
so, discrimen illud à Christo sanctum extat? Et quæ ista est inge-  
nij hu-

genij humani audacia simul & arrogātia, ea in re prærogatiuam  
sibi sumere, quam Christus omnium fidelium voluit esse com-  
munem: vnde veteres Cœnam ~~æterne~~<sup>æterna</sup>, id est, boni publici ad-  
ministrationem dixerunt, cuius v̄sus velut publici iuris esset.

Vnde eruditè Chrysostomus, *Est autem, inquit, ubi nihil differt* In 2. Cor. cap. 4.  
Homil. 18.

*Sacerdos à subdito: utpote quando fruendum est tremendis mysterijs.*

Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut  
in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem po-  
pulus: & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps  
esset Sacerdos. Sed nunc non sic: verum omnibus unum corpus propo-  
natur, & *P O C V L V M V N V M*. Quod si plenior est in vtriusq;  
quām vnius symboli participatione significatio, eò minus laici  
v̄su calicis erant priuandi: quippe quorum non minus, quām  
Sacerdotum, fides confirmatione opus habet. Constat enim fi-  
dem mirificè erigi & confirmari dulcissimis illis Christi verbis  
poculo Cœnæ annexis, quod Testamentum nouum dicitur in  
Christi sanguine pro nobis effuso in remissionem peccatorum.  
Cui insigni promissione neruos incidunt, quicunq; in Cœna  
calicis v̄su populum spoliant. Et qui, obsecro, non mutilatur Sa-  
cramenti ratio, mutilatis signis visibilibus, *in quibus formalem*  
*Sacramenti rationem consistere*, ipse tu asseruisti suprà ad theses 38.  
& 39. Nec Scholaстиci omnes in eo tibi adstipulantur, qui licet  
Christum integrum non minus sub vna, quām sub vtraq; spe-  
cie sumi affirment, Sacramentum tamen sub vna specie perfe-  
ctè sumi negant. Sic enim Durandus: *Qui solam, inquit, hostiam*  
*recipit, non plenum Sacramentaliter recipit Sacramentum.* *Etsi enim* In Rationali di-  
uinorum lib. 4.  
cap. 54.  
*in hostia consecrata Christi sanguis sit, non tamen est ibi Sacra-  
mentum, eo quod panis corpus, non sanguinem, & vinum sanguinem si-  
gnificat, & non corpus.* Et Bonanentura docet, *in hoc Sacramento ex*  
*duobus signis unum & perfectum resultare Sacramentum: cuius in-*  
*tegritatis ratio dispositiù veniat à natura; quia nec panis sit per se ple-*  
*ne reficiens, nec vinum: sed utrumq; sit una plena refectione.* *Completiu-*  
*mē* Dicit. 2.  
quest. 2.

verò veniat ab institutione diuina, quæ institutio hæc duo signa ordinaverit, ad significandum unam perfectam refectionem. Audis illos negantes, eos qui solum panem sumunt, plenum sumere Sacramentum: negantes item, in pane Christi sanguinem esse Sacramentaliter: contra afferentes, duobus signis, pane & vino, perfici Sacramentum ad significandam perfectam refectionem, idq; ex Christi instituto.

Quod de Baptismo objicis, quemadmodum ille non mutilatus dicitur, cum infantes semel aqua aspergimus, non autem, ut veteres fecerunt, totum corpus aqua ter immersimus: sic neq; Cœnam mutilari, si maximè calicis usi laici priuentur: respondeo, multum interesse inter mutilationem Cœnæ, & trinæ illius à veteribus obseruatæ immersionis mutationem. Illa enim substantiam Cœnæ attingit: hæc verò ad eas pertinet ceremonias, quarum libera est in Ecclesia obseruatio. Cum enim de trina immersione neq; Christus neq; Apostoli quicquam præceperint: ineptus fuerit, qui illam hodie rigidius exigat. Etenim distinguendum inter substantiam Baptismi, & circumstantias, id est, ritus illi adiunctos, quos mutare in libertate Ecclesia est possum. Qua dere Magister Sententiarum: *In duobus, inquit, consistit Sacramentum Baptismi: in verbo scilicet & elemento. Ergo et si alia desint, quæ ad decorum Sacramenti instituta sunt: non ideo minus est verum Sacramentum & sanctum, si sit ibi verbum & clementum.*

Lib. 4. distin. 3.

Thef. 65.  
& 66.

Epist. 118. ad Ia-  
nuar.

Confirmavi mandato Christi integræ Cœnæ usum ad totam pertinere Ecclesiam, quod Christus non minus de calice dixerit, *Bibite ex hoc omnes, quam de pane, Accipite comedite.* Vbi potissimum considerandam esse dixi vniuersalem, mandato de usi calicis annexam. Aduersarius verò negat, integræ Cœnæ usum, id est, *vtramq; speciem à Christo toti commendatam fuisse atq; mandatam Ecclesia.* Ad quam sententiam suam confirmandam profert auctoritatem Augustini. *Non præcepit, inquit Augustinus, quo deinceps ordine sumeretur Sacramentum: ut Apostolis, per quos:*

*Quos dispositurus erat Ecclesias, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variasset.* Atqui Augustinus hoc loco nihil agit de mutatione signorum in Cœna, quam certè nusquam legimus Apostolorum dispositioni à Christo permisam fuisse: sed de ordine & decoro Ecclesiastico circa Sacramenti huius vsum obseruando differit, velut quo tempore Cœnam celebrari conueniat, num item à ieunis, an verò post sumptum alium cibum Cœna sit participanda. Quas circumstantias Cœnæ ad politiam Ecclesiasticam pertinentes docet in libertate Ecclesiæ positas esse, vt in eis disponere & ordinare Ecclesiæ liceat, prout visum fuerit sibi expedire. Secus de ijs habendum, quæ ad Cœnæ substantiam pertinēt, de quibus Apostolus, *Ego, inquit, accepi à Domino,* I. Cor. II. *quod & traxi vobis.* Et Cyprianus de hoc ipso argumento differens: *Quod si, inquit, nec minima de mandatis Domini licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicae passionis & nostre redemptionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod diuinitus institutum est,* Lib. 2. epist. 3. *HVMANA TRADITIONE MVTARE?* Cumq; Augustinus loco citato disertè affirmet, si de vna illa Cœnæ circumstantia Christus monuisset, post sumptum alitim cibum, Cœnam esse participandam, neminem morem illum mutaturum fuisse: quanto minus tentanda erat mutatio in ijs, quæ ad substantiam Cœnæ pertinent?

Cæterum proprius pedem confert aduersarius, dum ex verbis institutionis à Luca & Paulo descriptis suam illam Cœnæ mutilationem probare conatur. Lucas enim Cœnæ institutionem ita describit, ut priori parti, vbi de pane benedicto agitur, subjiciat Christi mandatum, *Hoc facite in meam commemorationem,* posteriori verò de calice parti nullum eiusmodi mandatum annexat. Ex quo colligit Antagonista, ad calicis vsum nulla nos mandati necessitate adstringi. An igitur de nihilo est, quod Mat-

thæus Christum in tradendo calice imperandi verbo vsu suis  
se narrat? *Bibite, inquit, ex hoc omnes.* An Euangelistas inter se  
committemus? verum Paulus, optimus Euangelistarum inter-  
pres, omnem nobis dubitationem tollit, qui vtriq; Coenæ parti  
hoc Christi mandatum subnecet; *Hoc facite in meam commemo-  
rationem.* Sed excipit aduersarius, Paulum, vbi de calice differit,  
Christi verba ita narrare, *Hoc facite, quotiescumq; biberitis, in meam  
commemorationem.* Ut intelligeremus (inquit aduersarius) nullo nos  
sumendi calicis præcepto teneri: sed tantum, ut *Q V O T I E S sume-  
remus, non profano more, sed ad mortis Christi recordationem sume-  
remus.* Quo docet, calicis vsu à Paulo Ecclesiæ liberum relin-  
qui. Hanc enim vim esse innuit vocis *Quotiescumq;* Quod si ea  
est verborum Pauli sententia, consequetur, ad neutram Coenæ  
partem nos vlo Christi mandato adstringi: quando idem Apo-  
stolus mandatum illud Christi, *Hoc facite in mei commemora-  
tionem,* exponens, de vtraq; Coenæ parte sic loquitur: *Quotiescumq;  
inquit, comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini  
annunciatis, donec veniat.* Quid obstat igitur, quò minus vtrius-  
que partis vsu laicis interdicatis, aut saltem liberum relinquatis?  
Sanè Paulus Christum secutus imperandi verbo vitur: *Hoc faci-  
te, inquit, quotiescumq; biberitis, &c.* Quibus verbis mandatum  
contineri Antiquitas sensit & docuit. Cyprianus, *A Domino,* in-  
quit, *præcipitur, & ab Apostolo eius confirmatur, vt quotiescumq; in  
commemorationem Domini biberimus, hoc faciamus, quod Dominus  
fecit.* Item. *Ab eo, quod Christus magister & præcepit & gesit, non  
est humana institutione decadendum.* Idem. *Quomodo ad martyrij  
poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia po-  
culum Domini iure communicationis admittimus?* Certè si quis  
olim in Synodo Constantensi ad probandam Coenæ mutila-  
tionem id genus argumentis pugnasset, pro laurea galerum tu-  
lisset. Constat enim id temporis ignota fuisse hæc aduersarij So-  
phismata ex verbis institutionis cōtorta, Imò cùm Synodi illius  
patres

Lib. 2. epist. 3.

Lib. 1. epist. 2.

Patres in suo de mutilatione Cœnæ decreto disertè fateantur,  
Sacramentum hoc sub vtraq; specie à Christo fuisse institutum:  
nimis de vtraq; specie mandatum Christi agnoscent, licet  
ipsi mandato huic contrarium decernant.

Si dictum illud Christi: *Bibite ex hoc omnes, ad solos Aposto-*  
*los pertinet, vt aīs, quo iure illud ad Sacerdotes tuos trahes?* Siā  
*autem ad hos quoq; pertinet, cur in eorundem communione*  
*illud non obseruatis, quando Sacerdotibus non celebrantibus*  
*non minūs, quām laicis, vsum calicis negatis?* Sed neq; ad solos  
Apostolos, neque ad solos Sacerdotes, sed ad vniuersam Ecclesi-  
am hoc Christi mandatum pertinere, Paulus testatur, qui Cœ-  
nam sacram toti Corinthiorum Ecclesiæ tradidit, quemadmo-  
dum à Christo acceperat. Et quorsum illud ex Marco à te cito-  
rum, & biberunt ex eo omnes? *Quis enim nostrum negat, Aposto-*  
*los, qui soli tunc cum Christo Cœnæ intererant, iussos ab illo*  
*omnes ex calice bibisse?* Imò hoc ipso Marci testimonio vestra  
illa Sacramēti mutilatio magis refellitur, quādo audimus, Apo-  
stolos non solum iussos à Christo bibere omnes, vt Matthæus  
narrat, sed etiam huic Christi mādato obsequitos ex calice om-  
nes bibisse, vt Marcus habet. Cumq; Christus Cœnam sacram  
non solum pro Apostolis, qui tunc aderant, sed in vsum quoque  
totius Ecclesiæ instituerit ad finem usq; mundi celebrandam,  
testet Paulo: quis dubitet, in participando calice toti Ecclesiæ fa-  
ciendum esse, quod tunc fecerunt Apostoli, quotquot primæ  
Cœnæ interfuerunt? Nec de eo vñquam Lutherus dubitauit,  
quin Apostoli omnes ex calice biberint, vt hoc nomine vel con-  
vincendus ex Marco fuerit, vel Euangelium Marci de corruptela  
suspectum habuerit, vt aduersarius hoc loco ait. Nemo enim  
acrius Luthero hanc Cœnæ mutilationem oppugnauit. Sed de  
serie verborum illuc differit, quam in Calicis descriptione sequi-  
tur Marcus, idq; aduersus Caroloſtadium, negantem Apostolos  
in prima Cœna sanguinem Christi cum vino bibisse, propterca

In Confessione  
maiore.

quod Marcus in Calicis descriptione narret, Apostolos prius ex calice bibisse, quā Christus dixerit, *Hic est sanguis noui Testamenti.* In qua Marci narratione Lutherus recte *usez wērezy* esse agnouit, propter inuersionem ordinis, qui in Matthæi & Lucæ itemq; Pauli narratione est concinnior, vbi continua serie illa cohaerent, Christum acceptum poculum dedisse discipulis, atq; dixisse, *Bibite ex hoc omnes : hoc est nouum Testamentum in meo sanguine.*

Thef. 67.  
& 68.

Ex aduersariorum expositione vniuersalem illam mandato sumendi calicis à Matthæo annexam, ad solos Apostolos restringentium absurditatem consequi ostendi, nempe Sacramentum hoc pro solis institutum fuisse Apostolis, ac proinde neutram partem populo esse communicandam. Quam consequitionem aduersarius negat, *quod nondum probatum sit, hoc Christi verba, Bibite ex hoc omnes, vim habere mandati.* Atqui id modò probauimus ex Paulo. Præterquam enim, quod imperandi verbo *vſus* est Christus, Paulus vtrique Cœnae parti subjicit, *Hoc facite.* Cui mandato nihil derogat, quod additur, *Quotiescumq; biberitis.* Nam & de pane sic loquitur Apostolus, *Quotiescumq; comederitis panem hunc.* Ac ne quis existimet, Paulum de relibera loqui, mandatum illud repetens, imperandi verbis vtitur. Probet igitur se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Non igitur solum modum rectè bibendi prescribit Apostolus, nec solum non prohibet, ne bibamus, sed etiam *ut bibamus*, imperat & mandat, cùm ait, *Hoc facite, quotiescumq; biberitis.* Nec vero Ecclesiae indicio pro varia temporum ac personarum ratione de calice disponendum reliquit. Quam disponendi potestatem ne ipse quidem Apostolus sibi sumpsit, qui Cœnae institutionē se Corinthijs tradidisse profitetur, quemadmodum à Christo acceperat. Nec de ea mutanda loquitur, cùm ait, *Cetera cùm venero disponam.* Quorsum enim Cœnam paulò antè ex Christi instituto sub vtraq; specie Corinthijs tradidisset ad extremum usq; iudicij diem celebrandam, si eandem postea mutare decreuisset? Sed de

Sed de alijs rebus loquitur à Coenæ institutione diuersis atq; se-  
iunctis: id quod vox τὰ λοιπὰ id est cætera seu reliqua innuit, qua  
excipiuntur ea, quæ de Coenæ institutione modò tradiderat. Per  
τὰ λοιπὰ autem res intelligit medias ad politiam Ecclesiasticam  
pertinentes, in quibus pro ratione temporum, locorum, & per-  
sonarum, Ecclesiæ licet disponere & ordinare, quæ ædificationi  
seruiunt. Nam in ijs, quæ verbo Dei tradita sunt & disertè man-  
data, Ecclesiæ fas non est quicquam mutare: adeo ut si vel Ange-  
lus de Cœlo diuersum docere conetur, anathemate sit ferien- Gal. 1.  
dus, eodem Apostolo teste.

Ad Lutheri testimonium à te citatum quod attinet, at-  
tendum est, quo tempore, quâue occasione ita scripsit Lu-  
therus, nempe cùm adhuc passim tyrannis Pontificia domina-  
retur, & seruitute sua oppressam teneret Ecclesiam, vt pijs non  
esset facultas Coenæ ex Christi præscripto percipiendæ, nisi in  
Missa, idque sub vna duntaxat specie: Quorum conscientijs vt  
conculceret Lutherus, inter initia renascentis doctrinæ syncerio-  
ris ita scripsit, *non peccare in Christum, qui una specie utantur: cùm*  
*Christus non præcepit illa vti, sed arbitrio cuiuslibet reliquerit, di-*  
*cens, Quotiescumq; hac feceritis, in mei memoriam faciatis.* Quo tem-  
pore & ipse Lutherus adhuc de nonnullis doctrinæ partibus du-  
bitauit, in quibus paulatim magis ac magis profecit. Nam & ipse <sup>Augustinus</sup> epist. 7.  
Augustini exēplo è numero eorum se esse professus est, qui scri-  
bendo proficerent. At postquam syncerior doctrina passim Ger-  
maniae illuxit, facta pijs copiâ Coenæ in Ecclesiis syncerioribus  
ex Christi præscripto percipiendæ: Lutherus omnes pios à Pon-  
tificiorum communione dehortatus fuit, ne Coenam in Missâ  
ipsorum neq; sub vna neq; sub duabus, vt loquuntur, speciebus  
participarent, idque propter Missæ sacrificium, quo non aliam  
esse maiorem Coenæ profanationem & idolomaniam magis  
horrendam idem Lutherus docuit.

Quod Paulum ais Coenæ institutionem, vt historiam, <sup>Thefis 69.</sup>  
Corinthijs.

Corinthijs tradidisse, non vtriusq; partis vsum mandasse: postea  
rius hoc falsò à te affirmari iam demonstrauimus. Porrò Cœnæ  
institutionem non solum vt historiam à Paulo commemorari,  
sed ad vsum quoq; ab illo traduci & accommodari, ex omnibus  
loci illius circumstantijs liquet. Cùm enim in Ecclesia Corin-  
thiorum nonnulli abusus Cœnæ inualuisserent; Apostolus eos  
dem correcturus, primam Cœnæ institutionem ceu fundame-  
tum & regulam correctionis illius ponit, & ex ea exhortationes  
hasce deducit: *Probet igitur homo se ipsum, & sic de pane illo edat, &*  
*de poculo illo bibat.* Item. *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de*  
*poculo Domini indignè, &c.* Nec solum Corinthijs, sed vniuersitate  
quoq; Ecclesiæ omnium temporum illa ab Apostolo tradi, in-  
scriptio Epistolæ testatur, quam Paulus ad omnes vocatos &  
sanctificatos, qui inuocant nomen Domini, in omni loco per-  
tinere docet.

1. Cor. 1.

Quòd autem Antagonista argutatur in vocula disiuncti-  
ua VEL. *Quicung, māducauerit panem hunc, VEL biberit calicem in-*  
*dignè, &c.* qua innui ait, *vnius speciei vsum ab altera posse separari:*  
nos contrà copulatiuam vrgemus ab eodem Apostolo in ipsa  
institutionis formula positam, & postea in vero Cœnæ vñi mō-  
strandō repetitam. Sic enim Apostolus, *Similiter, inquit, & pocu-*  
*lum.* Item: *Quotiescung, comederitis panem hunc, & de poculo bibe-*  
*ritis.* Item: *Probet homo se ipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo*  
*bibat.* Quis autem dubitet, legitimam participandæ Cœna ra-  
tionem ex institutionis formula esse petendam? At, inquis, dis-  
iunctiua quoq; vtitur Paulus. *Quisquis, inquit, ederit panem hunc,*  
*aut biberit de poculo Domini indignè, &c.* Nempe vt ostendat, non  
minùs reum fore, qui partem aliquam Cœnæ, quām qui totam  
violer, nec minùs alterutrius, quām vtriusq; partis abusu Coenæ  
profanari: ac proinde parem vtriq; Cœnæ parti reuerentiam de-  
beri. Cùm igitur vos Cœnam altera sui parte mutiletis: quām  
dignè & reuerenter illam habeatis, & num ab eo, de quo Apo-  
stolus

stolis loquitur, reatu sitis immunes, qui quis pius intelligit. Præclarè namq; Ambrosius, *Indignus est*, inquit, *Domino, qui aliter* <sup>in 1. Cor. 11. cap.</sup> *celebrat hoc mysterium, quam ab eo traditum est. Non enim potest de-*  
*notus esse, qui aliter presumit, quam datum est ab authore.*

Ad dictum illud Apostoli probet homo se ipsum, & sic de pane  
illo edat, & de poculo illo bibat, quod de vtraq; Coenæ parte ab Apo- <sup>Thef. 70.</sup>  
stolo Corinthijs præcipi dixeram: aduersarius respondens negat  
Apostolum præcipere, ut de pane edant, & simul de calice bibant. Sed  
de probatione tantum præcipere ait, ut si edere & bibere velint, prius  
se probent. Atqui Apostolus illuc connectit probationem, man-  
ducationem, & bibitionem, imperandi verbis vñus, δοκιμαζέτω,  
ἰδέτω, ἐγνώτω. Non igitur ita præcipit probationem, ut calicis  
sumptionem nostro permittat arbitrio. Etsi enim Coenæ sum-  
ptionem antecedere debet probatio, non minùs tamen illa,  
quam hæc præcipitur: & vt probatio illa, sic integræ Coenæ sub  
vtraque specie percipiendæ vñus ad omnia Ecclesiæ membra  
pertinet.

Consuetudini veteris Ecclesiæ, quam inde usque ab Apo- <sup>Thefis 72.</sup>  
stolorum temporibus Coena sub vtraque specie vñsam fuisse dixi,  
aduersarius contrariam consuetudinem opponit. Nam *inde*  
*vñg; ab etate Apostolorum omnibus seculis alterius speciei vñsum in*  
*Ecclesia obseruatum fuisse, ac proinde vtriusq; speciei vñsum & obser-  
vationem semper fuisse liberam ait.* At quibus argumentis id con-  
firmat? Primum exemplum profert Apostolorum, quos in pri-  
ma Coena initio, ut laicos, sub una tantum specie panis corpus Christi  
sumpsisse ait: *Postea verò his Christi verbis (Hoc facite in mei com-  
memorationem) in Sacerdotes consecratos alteram Coenæ partem ac-  
cepisse.* Atqui suprà thesibus 8. 28. 29. 30. ostendimus, faciendi ver-  
bo nec sacrificiū nec sacerdotium designari (Neq; enim Chri-  
stum in prima Coena vel sacrificasse vel sacerdotes consecrassè  
legimus) sed ipsam Coenæ actionem, atque adeò ipsam actionis  
formam ab Euangelistis & Paulo descriptam notari, qua Chri-

stus cum pane & vino benedicto corpus & sanguinem suum Apostolis distribuisse, illi verò ea, quæ Christus distribuit, accepisse, comedisse, & bibisse dicuntur. Atq; hoc est, quod Christus discipulos in sui memoriam facere iubet. Porrò cùm Christus Apostolis in Sacerdotes consecratis, vt aduersarij ait, calicem quoq; exhibuerit: quid est, quamobrem ipsi sacerdotibus suis non conficientibus, vt loquuntur, calicis ysum negant? Si namq; Christus Apostolis Sacerdotibus (qui certè id temporis erant non confidentes) calicem porrexit: quo iure Clerici & Sacerdotes non celebrantes, non minùs quam laici, vna specie iubentur esse contenti? Anné id facere est, quod Christus in prima Cœna fecit?

Luc. 24.

Deinde idem probare conatur exemplo duorum discipulorum, quibus Emaunti Eucharistiam sub vna specie à Christo datam esse ait. Respondeo, ex locis Scripturæ ambiguis & obscuris non esse colligenda fidei dogmata. Porrò ex historia illa Emauntica certò doceri nequit, Christum frangendo panem discipulis tunc Eucharistiam distribuisse. Imò non desuntrationes, quibus contraria sententia confirmatur, nempe Christum cum discipulis illis tunc vulgarem celebrasse Cœnam. Neque enim verisimile est, illum Eucharistiam non ita pridem à se institutam mutare, aut exemplo contrario quicquam ei derogare voluisse. Nec Lucas illic Eucharistia meminit. Nam fractio panis de vulgaribus quoq; epulis dicitur, Iesa. 58. Matth. 14. &c. Neque panem fractum illic Christus corpus suum esse professus est, nec factū imitari iussit, sed vt aliâs in vulgaribus quoque epulis illi mos fuit, gratijs actis, panem frangere, & conuiuis distribuere: ita h̄c fecit. Non igitur conuenit, omissis perspicuis & illustribus Cœnæ sacræ descriptionibus, vbi ex professo de ilius tum materia tum forma agitur, ad locos Scripturæ obscuros & ambiguos deflectere, & inde sententiam colligere illustribus illis Cœnæ descriptionibus contrariam. Quid? quòd aduersarij

Concil. Tridēt.  
Sess. 5. cap. 3.  
can. 2.

farij ipsi in hac Emauntica historia acquiescere non possunt, quin ad celebrandas Missas suas multa ex Coenæ institutione pere necesse habeant. Neque enim solo pane absque calice, neque sine his verbis, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, consecrationem perfici concesserint: quorum tamen Lucas in ea historia nullam facit mentionem. Ex quibus liquet, Eucharistiae celebrandæ rationem non nisi ex institutionis formula esse pertendam.

Idem iudicium est de fractione panis, cuius mentio fit Acto. 2. 20. & 27. quibus item locis aduersarius Coenæ mutilationem probare conatur. Qui loci cùm & ipsi ambigui sint, nec minus de familiaribus fidelium conuiuijs, quam de Eucharistia exponi possint (quomodo ex patribus alij de vulgaribus epulis, alij de Eucharistia locos illos exponunt) non est ex ipsisdem sententia aliqua seu dogma extruendum, quod manifestis & illustribus Eucharistia descriptionibus aduersetur. Quòd si de Cœna mystica locos illos interpretari libet: visitata scripturæ est Synceduche illa partis pro toto. Quam quidem Syncedochen vel ipsi aduersarij admittere coguntur. Cùm enim, vt modò dixi, eam Missæ celebrationem non agoscant legitimam, qua panis duntaxat consecretur, remoto calice: alterutrum fateantur necesse est, aut illam Apostolorum celebrationem non fuisse legitimam, quia nulla in ea fit calicis mentio: aut calicem ijs in locis subintelligendum esse, quamuis Lucas eius disertè non faciat mentionem. Nec patres, qui locos illos de Eucharistia exponunt, eò illos trahunt, vt Eucharistiam sub vna solùm specie, vel ab Apostolis tunc administratam fuisse, vel à successoribus illorum administrandam laicis esse doceant.

Quod ad testimonium ex Clementis Romani Epistola 2. hoc loco à te citatum attinet, constat Epistolas illas Clementis viris doctis non uno nomine suspectas haberi, qui sentiunt, Clementem Romanum non esse illarum authorem. Quod quidem cùm

dem cùm alia documenta, tum verò vel hoc satis arguit, quòd multa in eis narrantur à veritate historiæ aliena: vt quòd Petro soli & primo Christus à patre reuelatus dicitur: cùm Iohannes Euangelista testetur, Andreæ priùs quàm Petro Christum innotuisse, imò Petrum Andreæ ductu ad Christum peruenisse. Item quòd Petrus narratur Clementi mandasse, vt Iacobo de morte sua nunciaret: cùm ex historijs constet, Iacobum septem annis ante Petrum dececessisse: id quod Petrus non potuit ignorare. Quanquam non video, quid locus ille Clementis à te citatus mutilationi Coenæ patrocinetur. *Presbyter*, inquit Clemens, *Diaconus*, & minister reliquias fragmentorum corporis Domini custodiare debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur. Non enim sequitur, si Clemens vnius duntaxat speciei facit mentionem, idq; extra Coenæ usum, idcirco in ipso quoque usu vnam duntaxat speciem laicis fuisse distributam.

Epist. 2.

Histo. Eccl. lib.  
s. cap. 24.

Iren. lib. 5.

In Apologetico.

Lib. 1. epist. 2.  
Lib. 2. ad uxori.

Quòd ex Eusebio Irenæi testimonium profert de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, qua receptum erat, vt Episcopis per graminis Romam venientibus Eucharistia mitteretur: doceat nos aduersarius, Eucharistiæ nomine vnam duntaxat speciem designari; atq; adeò vnam tantum speciem Episcopis illis hospitibus fuisse transmissam. Sanè ex eodem Irenæo, itemq; Iustino & Cypriano constat, Eucharistiam ab illis vtraq; specie definiri. *Quando mixtus calix*, inquit Irenæus, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Et Iustinus:  *Diaconi dant singulis presentibus partem panis & calicis diluti, super qua facta est gratiarum actio, atq; etiam deferre sinunt absentibus. Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia.* Audis, Eucharistiam ab illis vtraq; specie describi: tūm quoque non praesentibus solū, sed etiam absentibus sub vtraque specie exhiberi. Cyprianus: *Protectione corporis & sanguinis Christi eos munimus: cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit esse tutela credentibus.* Ad Tertulliani locum respondeo, etsi id temporis in Ecclesijs

Eclesis nonnullis mos inoleuerit, vt quidam panem sacram ex publica Synaxi domum secum deferrent, eoq; priuatim vescentur (quem morem ab institutione Christi alienum, postea in Concilijs Toletano & Cæsaugustano abrogatum fuisse super diximus) in coetu tamen sacro Eucharistiam sub vtraq; specie omnibus administratam fuisse. Ac quamvis Tertullianus loco citato vnius panis faciat mentionem: alijs tamen in locis eiusdem libri non semel poculi quoque meminit. Nec ullum proferri potest synceroris Antiquitatis testimonium, quo publicè in coetu sacro Eucharistiam sub vna specie laicis distributam fuisse doceri possit. De Scrapione Historia Ecclesiastica testatur, vtramq; Coenæ partem illi datam fuisse virtutur enim verbi <sup>Euseb.lib.6.  
cap.44.</sup> & <sup>Amb. de obitu  
fratris Satyri.</sup> <sup>Cyprian.lib.5.  
de lapidis.</sup> <sup>Sozom.lib.8.c.5.</sup> <sup>Niccephorus  
lib.3.cap.7.</sup> id est, instillare & infundere: quod utique de vino est intelligendum. Nec verò sequitur, si Ambrosii frater Satyrus Eucharistiam in orario circumtulit, eandem illi in Coetu sacro sub vna duntaxat specie datam fuisse. Nam in eiusdem fratri historia Ambrosius describens Coenæ communionem, haustionis & fusionis in viscera meminit. Nec miracula quæ in pane sacro facta leguntur, cōmunionem vnius duntaxat speciei confirmant, nec eò à veteribus trahuntur: sed aliæ ab illis miraculorum istorum causæ narrantur. Porrò quos è Synodo Constantinopolitana sexta, itemq; Historia Ecclesiastica anno fasti, locos hortatu tuo inspexi & legi, neq; quicquam in eis portui animaduerte, quod consuetudinem distribuendæ sub vna specie Eucharistiæ, idq; in publico coetu sacro, ijs seculis receptā fuisse confirmaret. Nam Synodi illius Canone 52. mentio fit <sup>de synodis apud vias,</sup> id est, antè sanctificatarum oblationum, quarū usus ieiunij tempore in Missa præcipitur. Quis verò hinc necessariò cōcludat, Coenam sacram id temporis sub vna solūm specie laicis fuisse distributam? Imò Ecclesiæ tunc prorsus ignotam fuisse ullam Coenæ mutilationem, cùm ex alijs eius seculi Scriptoribus, tū verò ex Cōciliij Toletani vndecimi Canone vndecimo patet,

vbi disertè præcipitur, vt vtraq; Eucharistia pars Ecclesiæ distri-  
buatur. Ac miro equidem, Canone illum §2. Synodi Con-  
stantinopolitanæ sextæ à te citatum fuisse, cùm constet, illum  
vnà cum plerisque alijs eiusdem Synodi Canonibus à Sergio  
Pontifice Romano tunc fuisse reiectum, quòd nonnulla con-  
tinerent à ritibus Ecclesiæ Romanæ aliena. Qui ergo tunc à  
Pontifice reiectus fuit Canon, eiùsne tanta nunc est apud vos  
authoritas ad conuellendam Christi deuſu calicis sanctionem?

Quod ex Socrate citasti, ad rem nihil facit: nisi fortè à No-  
uatiā legitimū Cœnæ vsum nobis discendum esse centes.  
Nam Sabbatium presbyterum Nouatiānum Socrates narrat,  
cùm de celebrandi paschatis tempore à ceteris dissentiret, domi  
clām & in angulo Pascha celebraſſe, postea & publicè cum Ec-  
clesia conuenisse, mysteriaq; sumpliſſe. Vbi nulla mentio mysti-  
cæ sub vna specie communionis. Et quid ad nos Sabbatiū illius  
factum, qui Cœnam ex Christi præscripto, non institutis hære-  
ticorum, celebrandam esse afferimus?

*Lib. 12. cap. 34.*

Nec verò Nicephorus tibi quicquam suffragatur, qui cùm  
varias referat diuersarum Ecclesiārū cosuetudines in ieiunio, Pa-  
ſchate, alijsq; ritibus adiaphoris olim obſeruatas, inter cetera de  
Synaxib⁹ diuerso tempore pro diuersarū gentium locorumq;  
ratione habitis, simul & mysteriorum sumptione nōnulla com-  
memorat. Vbi aduersarius vocabulum Synaxis (quod ambiguum & cœtum sacrum & Cœnam Dominicam veteribus signifi-  
cat) arreptum ad Missam suam & Cœnæ Dominicæ in ea  
mutilationem detorquet. Verū Nicephorus illic de vtrisque  
distinctè, & de conuentibus sacris & diuinis mysterijs, loquitur.  
Et interpres *ovāz̄is* conuentus reddidit. Et vt demus *ovāz̄as* no-  
men illic Cœnam sacram designare, cuius consecratio aliquo  
temporis interuallo antecesserit sumptionem: quid hoc, obſe-  
cro, ad Cœnæ mutilationem, cuius ne apex quidem in tota illa  
Historia extat? Imò author ille in ipso operis sui vestibulo, post  
quam

Hugo de Con-  
cilij.

Socrates Hist.  
Eccl. lib. 5. cap.  
21.

quam Cœnam sub vtraque specie à Christo institutam descri-  
psit, addit Christum eam ad eundem modum in futurum de-  
inceps fidelibus celebrandam, ad synceram & euidentem sui  
memoriam per manus tradidisse. Non igitur hīc moramur con-  
suetudinem, quantumuis proferri posset, quæ ab hac Christi le-  
ge formulaq; Cœnæ recedit. Quòd Græcas, Armeniacas, cæte-  
rasq; Orientales Ecclesias, utriusque speciei usum in Cœna reti-  
nentes, à vobis reprehendi negas: vtinam id verè. Quanquam  
quo sitis in Orientales Ecclesias, in multis doctrinæ partibus à  
vobis dissidentes, animo, iam olim Pontifices Romani satis  
ostenderunt, qui Asianas Ecclesias, quòd non eodem cum ipsis  
tempore Pascha celebrarent, damnarunt. Quod autem in illis  
non reprehenditis, id quo iure in alijs damnatis, adeò vt qui  
Cœnam sub vtraq; specie percipiunt, eos carcere, exilio, morte  
multetis? Porrò quòd addis, Orientales etiam post schisma exor-  
tum nunquam Ecclesiam Latinam erroris insimulasse, nobis non fa-  
cile persuaderis. Constat enim Græcos patrum memoria per  
quām difficiles se præbuisse, sat agentibus Græcorum Imperato-  
re & Patriarcha, in coēunda cùm Romana Ecclesia societate:  
adeò vt eos, qui Pontificis dogmata de pane azymo, igne purga-  
torio, alijsq; minoris momenti rebus approbassent, iure com-  
munionis priuarint.

In Ecclesiis Occidentis ante annos quadringentos con-  
suetudinem illam percipiendæ sub vtraq; specie Cœnæ adhuc Thes. 73.  
obseruatam fuisse, ex Gratiano & Petro Lombardo constare di-  
xi, quorum neuter mutilati huius Sacramenti faciat mentio-  
nem. Quod quidem aduersarius fatetur, tametsi argumentum  
hoc ab autoritate negatiuum obliquè carpat. Evidem non  
ignoro, id genus argumentorum per se infirmum esse: sed ta-  
men si aliæ rationes & circumstantiæ accedant, vt hoc loco, non  
est contemnendum. Deinde ait ritum unius speciei tanquam com-  
modiorem tutioremq; à populo Christiano, tacito quodam Ecclesiarum  
consensu

Lib. I. cap. 26.

Euseb. Hist. Eccl. lib. 5. cap. 24.  
&c 25.

*consensu suscepsum & frequentatum.* Quamobrem verò commodiorem tutioremq; ais ritum unius speciei? An Christus vtrāq; speciem ordinando Ecclesiae commodis non satis prouidit? An quæ vos fingitis pericula & incommoda cum vtriusq; speciei sumptione coniuncta vetus Ecclesia non vidit, vt ea caueret? Et quis est ille tacitus Ecclesiarum consensus, nisi crassa inscitia & stupor hominum cæcorum cæcos duces suos sequentium? Neque enim aliter vel de doctrina vel Sacramentis sentire populus & credere potuit, quām à Sacerdotibus tūc docebatur, paucis exceptis, quibus in densissimis illis errorum tenebris singulari Dei beneficio aliqua veritatis lux affulsa. Quo factum est, vt licet posterioribus seculis, nonnullis in locis, ritus vnius speciei inualesceret, non tamen defuerint, qui contradicerent. Porro contra expressam Christi legem vt nulla quātumuis longi temporis præscriptio, ita nec tacitus Ecclesiarum consensus valet.

*Quod in concilijs Constantiensi & Basiliensi propter nouam hæresin de calicis necessitate exortam mandatum editum ait: quo iure hæresin vocas doctrinam eorum, qui Cœnam ex Christi præscripto sub vtraq; specie populo distribuendam esse tunc contenderunt?* An non Synodus ipsa Constantiensis vim mandati Christi tam de calice, quām pane distribuendo tacite agnouit, cùm sacrilegum illud scriberet decretum, Etsi Christus cœnam sub vtraq; specie instituisset, & primitiæ Ecclesiae fideles sub vtraq; specie perceperissent: *hoc tamen non obstante cōsuetudinem communio nis sub vna specie post hac pro lege esse habendam?* Quid enim aliud sibi vult antithesis illa, qua institutioni Christi recentior consuetudo opponitur, nisi Christi mandato contrarium à Synodo decerni? Quæ antithesis ceu nimium crassa & impudens postea in Synodo Basiliensi non nihil mitigata fuit, excogitatis alijs rationibus, quibus illa Cœnæ mutilatio defenderetur. Quæ tamen rationes eiusmodi sunt, vt illarum magna ex parte vos nūc pudeat. Sed enim vt demus (quod

nunquam euiceritis) usum calicis Ecclesiae libertati à Christo permisum fuisse: quo iure Synodus rem per se liberam, lata lege, necessariam fecit? Et cur Pontifex Romanus, flagitantibus iam olim tot populis, & in his quoq; viris Principibus alioquin à religione illius non alienis, usum calicis concedere grauatur, imò præcisè negat, si quidem ex Christi instituto Calicis usus est liber, vti vos contenditis? Num fas est ob negatum rei liberæ usum innumerabiles conscientias offendì & perturbari?

Quod propter Manichæos olim calicis usum respuentes à Leone primo, & postea à Gelasio primo lege cautum fuisse ait, ne quis Catholicorū deinceps à calice abstineret, quamvis alijs Ecclesiis, vbi à Manichæismo nihil esset periculi, potestas fuerit utroris modo communicandi: non negamus, propter Manichæos à Leone ita fuisse decretum. Sed Catholicis id temporis usitatum fuisse ritum distribuendæ sub una specie Cœnæ, idq; in coetu sacro, id verò pernegamus. Neque enim propter Catholicos, vt hi ritum illum suum distribuendæ sub una specie Cœnæ (qui nullus tunc erat) post hac mutant, ita sanxit Leo: sed propter Manichæos, qui in Cœnæ communione orthodoxis permixti, unam duntaxat Sacramenti partem sumere consueverant. Quibus sub una specie Cœnam distribui Leo vetat. Porro ratio, quam Leo assignat generalis est, qua omnis Cœnæ mutilatio, à quibuscumq; & quocunque prætextu fiat, damnatur, dum Sacrilegium appellat, *si quis calicem sanguinis redemptio-* Sermones 4. de  
Quadrages. *ni nostræ haurire declinet.* Gelasius aliam habuisse videtur decreti sui occasionem & causam. Neque enim propter hæreticorum impietatem, sed propter quorundam superstitionem, vt ex formula decreti appareat, de utriusque speciei usu præcepit. Cumq; supersticio sit, alias colendi Dei rationes comminisci, quam ille verbo suo docet: constat eodem Gelasii decreto eos quoque damnari, qui contra Christi sanctionem ritum unius speciei in Cœna hodie defendunt, quocunque id fiat prætextu.

L

A patri.

Thef. 75. 76.  
& 77.

Cyprian.  
De Coena.

A patribus dixi utramque Coenæ partem toti Ecclesiæ commendari, Gelasii decreto citato. Aduersarius verò negat *utriusq; speciei usum mandato diuino necessarium ex patrum scriptis à nobis probari posse*. Atqui suprà thesi 65. & 66. probauit ex Cypriano, qui ex professo argumentum hoc tractans, non uno in loco calicis usum à Christo mandatum esse affirmat. *Lex, inquit, usum sanguinis prohibet: Euangeliū ut bibatur, præcipit. Bibimus autem de sanguine, Christo ipso iubente, pro quibus sanguis ille oblatus est. Item: Ab eo, quod Christus magister & præcepit & gesit, non est humana institutione decadendum.* Gelasii decretum planius est, quām ut ita eludi possit, dum ad solos restringitur Sacerdotes conficientes. Si namque, ut ipse ait, propter Manichæos Leo & Gelasius ita sanxerunt: glossa ista concidit. Cumque Gelasius disertè affirmet, integratatem Sacramenti diuidi atque discipi, si una duntaxat species sumatur, eamque Sacramenti diuisionem Sacilegium appelleat: tu videris, quomodo id constet, quod suprà ad thesin 64. negasti, Sacramenti rationem, dempto calice, mutilari: quomodo item à sacrilegio te tuosque vindices.

Thef. 78.  
& 79.

Quæ aduersus has theses de panis in corpus Christi conuersione à te dicuntur, suprà de transsubstantiatione itemque cōsecratione à nobis sunt refutata. Quòd axioma illud, *Nihil habere Sacramenti rationem extra usum seu actionem diuinitus institutam*, negas, id perinde est, ac si neges, Sacraenta elemento & verbo constare. Cùm enim verbum certam formam tribuat Sacramentis: illa cessante, Sacraenta quoque cessare necesse est. De afferuatione panis sacri extra usum nonnullis veterum recepta diximus suprà thesi 5. Quòd ex nostris quosdam non negare ait, Sacmentum *ad duos tresque dies pro infirmis afferuari posse*, consignato ad marginem Chemnitij nomine: non nemini me legere nec in Chemnitij ne cuiusquam nostrorū Theologorum scriptis: cumq; locū non assignaueris, inspicere non licuit.

Coenam

Cœnam dixi à Christo institutam esse, vt eam manducemus Thesis 80.  
& bibamus, non ut reponamus, circumgestemus, & adoremus.  
Respondet antagonista, non mandasse Christum, vt corpus suum, si-  
mulatq; à Sacerdote consecratū sit, manducaremus, & idcirco tantisper  
reponi posse, donec adsint, qui manducare velint, siue agri, siue fani.  
Imò vero constat, continuas fuisse in prima Cœna has actiones,  
vbi Christus panem benedictum discipulis distribuit, iussitq; vt  
acciperent & manducarent, professus corpus suum esse, quod  
daret: discipuli verò è vestigio acceperunt, & māducarunt, quod  
Christus dabat. Similiter cum poculo actum. Cùm autem idem  
nobis faciendum sit, quod Christus in prima Cœna fecit: quis  
non videt, in Cœna continuandas esse has actiones, nec tem-  
poris interuallo interrūpendas, distributionem inquam, & sum-  
ptionem? Vnde Origenes, Dominus, inquit, panem quem disci-  
pulis dabat, & dicebat eis, Accipite & manducate: non distulit, nec  
seruari ius sit in crastinum. Non igitur prius instituenda fuerit con-  
secratio, quām constet adesse, qui participare velint.

In Leuit.  
Homil. 5.

Probatio dijudicatioq; corporis Dominicī, de qua præci-  
pit Apostolus, consistit non in repositione, circumgestatione, &  
adoratione panis consecrati: sed in seria pœnitentia, & legitimo  
Sacramenti vſu. Cumque inter Sacramentalem & hypostati-  
cam vniōinem multūm interfit, quarum illa extra actionem  
non durat neque permanet: panem sacram pro corpore Chri-  
sti adorare, idque extra Cœnæ actionem, *αγρατεῖαι* esse dici-  
mus omnibus pijs auersandam. Interea non negamus, Chri-  
stum Deum & hominem in legitimo Cœnæ vſu adorandum  
esse in Spiritu & veritate: vbi tamen cauendum, ne honor ille  
adorationis non tam Christo, quām elementis, pani & vino à  
nobis deferri & exhiberi videatur.

Ab authoritate Apostolorum probavi, panem sacrum Thesis 81.  
extra Cœnæ actionem religionis ergò non esse asseruandum,  
quod Apostoli de hac asseruatione nihil præcepisse legantur.

L 2

Quod

Quod argumentum negatum ab autoritate seu vitiosum  
aduersarius rejicit. Ego verò id genus argumenta negantia, ab  
authoritate Prophetica & Apostolica ducta, non minùs firma  
esse credidi, quām affirmantia. Etsi enim in Philosophia ad eum  
modum argumentari non licet: in Theologia tamen nihil hoc  
argumentorum genere frequentius. Porrò corpori Christi diui-  
num honorem & adorationem latrīa lege diuina deberi nō negamus:  
sed panī consecrato id honoris tribuendum esse tantisper ne-  
gamus, dum probetis, illum in corporis Christi substantiam ve-  
rè conuerti, & conuersionem hanc post Cœnæ actionem quoq;  
permanere.

Thef. 82.83.  
& 84.

De Missis in honorem & memoriam sanctorum ab istis  
celebratis solitis, quibus Christi meritum diximus obscurari, ad-  
uersarius respondet, *per illas Christi meritum illustrari potius, quām  
obscurari.* Scilicet hoc pacto meritum Christi illustratur, dum  
quæ vni Christo Scriptura tribuit, ea ad sanctos vita defunctorum  
transferuntur, aut saltem cum eis communicantur, *vt suum no-  
bis apud Deum patrocinium præsent, ut pro nobis intercedant in cœ-  
lis, vt meritis & precibus suis nobis diuinae protectionis auxilium im-  
perent.* Quæ quidem ab uno Christo Pontifice nostro petere iu-  
bemur, qui ad dexteram patris euectus appetit nunc in conspe-  
ctu Dei pro nobis, semper viuens, *vt interpellet pro nobis apud  
Deum, vt per ipsum accedentes ad Deum, consequamur mis-  
ericordiam, & inueniamus gratiam & auxilium, quemadmodum  
Apostolus ait.*

Concil. Trident.  
Sess. 6. cap. 3.  
Canon Missæ.

Hebr. 7. & 9.

Quòd commemorationem sanctorum in Missa fieri ait, *vt pro  
eorum contra mundum certamine gratiae Deo agantur:* constat non  
id solum à vobis agi, sed quemadmodum modo dixi, *ut patroci-  
nia sanctorum implorentur, & intercessio apud Deum obtineatur.*  
Quam verè dicimus esse idololatriam. Nam quòd excipis, ido-  
lolatria.

Idolatriam esse, si quis diuino cultu afficit idola vel falsos deos, nimirum angustè idololatriæ definis, cuius vocis significatio in Scriptura sacra latius patet, & ad eos quoq; pertinet cultus, qui præter verbum Dei humano ingenio configuntur, quantumuis in hunc finem, ut verum illum Deum honore afficiamus, & per hos cultus nobis demereamur. Quo nomine passim Hebræi à Prophetis idololatriæ insimulantur, qui alijs in locis, quām lege diuina sanctum erat, sacra faciebant: licet in honorem veri illius Ichouæ se illa facere profiterentur. Porrò quām longè absit à crassa illa gentium idololatria, res ipsa clamat, quando honorem Deo proprium sanctis tribuitis, ut qui vbiq; præsentes & omnium necessitatum nostrarum conscij, arcanos cordis gemitus intueri, & verba precantium exaudire, & omnibus malis tam spiritualibus quām externis nos liberare possint. Extant cùm aliæ precum formulæ idololatriæ huius testes, tum verò Psalterium Mariæ, quod vocant, in quo Psalmi pleriq; omnes sacrilega audacia à vestris corrupti leguntur, quibus homines à vero Deo eiusq; fiducia ad Mariam virginem traducuntur, & in ea spem atq; fiduciam suam iubentur collocare. Eiusdem generis sunt, quæ apud alios doctores vestros leguntur, vbi quæ vnius Christi sunt propria, de Maria prædicantur, quippe cui nascenti Deus dixerit: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. De qua item dici posit, Lumen ad reuelationem gentium.*  
*Quæ sit Mediatrix inter Deum & nos salvationis, coniunctionis, iustificationis, reconciliationis, intercessionis, communicationis.*

Item ad eandem: *Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera.* Ex Rosario B.  
 Item: *Peccataricis animæ meæ spes tutissima, veni Saluatrix seculi,* Maria.  
*sordes aufer piaculi, tu spes nostra, mundans immunda.* Et quid honoris Christi reliqui faciunt, qui virginem Mariam inuocantes ita clamant: *O felix puerpera, nostra pians sclera, iure matris imperata Redemptori. Nónne eam Christo, ut matrē pupillo, anteponunt?* Ex Antidotō animæ.  
 In Missali Patiens, in prosa, cuius initium, Quia praconio

Qui deniq; illam appellant *Reginam cœli, portam Paradisi, vitam & dulcedinem suam, gratia thesaurariam, refugium peccatorum, Mediaticem hominum.* An non omni intercessionis honore Christum spoliant? Hæc crassiora sunt, quām vt vllis coloribus pingi, vlloue prætextu possint excusari. Nam quòd negas, sanctos <sup>re</sup>tegas honore à vobis coli, futilis distinctiones vestras non moratur, qui rem ipsam potius, quām nomina hic spectamus. Cumq; ipsoſ neroſ idolatriæ huius retineatis, vt qui illam vobis improbari ne verbo quidem declareris: frustra in eap <sup>re</sup>genda atq; ornanda laboratis.

## Thesis 85.

Quòd ex Scriptura ostenderam, vnum Deum esse inuocandum: aduersarius distinguit inter Dei & sanctorum inuocationem, & sanctos se inuocare ait *tanquam Dei amicos seruosq; carissimos, ut nobis apud Deum precibus suis patrocinentur.* Sed quodnam de hac sanctorum inuocatione Dei mandatum, quam promissionem profers? Non enim sequitur, si sancti sunt Dei amici ac serui charissimi, idcirco nobis esse inuocandos. Quòd Pauli exemplum objicis, *qui sanctorum in hac vita degentium opem atq; auxilium implorare non dubitauerit:* diuersa est fidelium in hac terra & sanctorum in coelis degentium ratio. Fideles enim in hac terra de necessitatibus suis inter se communicare, mutuoq; se certiores facere possunt. Dein de habent eius rei mandatum & promissionem diuinam. Sancti vero, qui præsenti vita defuncti cum Deo in Cœlis nunc agunt, de necessitatibus nostris certiores per nos fieri nequeunt. Vnde frustra ab illis hoc intercedendi officium flagitatur, præsertim cum nullum de eo extet Dei mandatum. Nam quòd Doctores vestri tradunt, sanctos necessitates nostras in nescio quo Trinitatis speculo contemplari: eadem facilitate rejicitur, qua probatur. Adhæc, Paulus non cōfidelium pro se preces & intercessiones petit, quòd meritis illorum se subleuatum iri speret, quemadmodum sanctos à vobis inuocari modò ostendi: sed vt ynius Christi fiducia freti,

Deum

Rom. 15.  
Col. 4.  
2. Thess. 3.

Deum vnā secum inuocet. Quòd Christi Mediatoris officio  
Per hanc sanctorum intercessionem quicquam derogari negas:  
contrarium testantur eæ, quas modò recitauimus, precandi for-  
mulae vobis visitatæ. Quòd mutuas fidelium preces & intercef-  
tiones nobis ab Apostolo ais commendari: de fidelium in his  
terris agentium precibus est accipiendum, quæ cùm vnius  
Christi Mediatoris & intercessoris merito nitantur, officio illius  
& honori nihil derogant.

De ritibus Missæ differo, quos superstitionis plenos esse Thesis 86.  
dixi. Aduersarius contrà ritus Missæ ait plenos esse mysteriorum, ve-  
<sup>reg. religionis.</sup> Mirum igitur, si mysteria illa & religionem neq;  
Apostoli nec primitiæ Ecclesiæ Episcopi viderunt, quos con-  
stat in celebranda Coena sacra, magna simplicitate paucissimis  
que ceremonijs vsos fuisse. Neq; enim moramur patres illos  
vestros, quos ais libros integros de ritibus Ecclesiasticis edidisse. Id  
enim posterioribus seculis factum esse constat, cùm iam pluri-  
mæ superstitiones in Ecclesia inualuiscent. Porrò quòd meri-  
tus illos vestros damnando confessioni Augustanæ eiusq; Apologia  
apertum bellum indicere ais, quarum utraq; & Missam & ceremo-  
nias fèrè omnes in Ecclesiis nostris retineri affirmet: distinguimus in-  
ter Missam veram & superstitionem. Illa non aliud est, nisi Cœ-  
nae Dominicæ administratio distributioq;: de qua Confessio &  
eius Apologia loquuntur. Porrò superstitionem illam Missem  
vestram, qua corpus Christi Deo offerri dicitis ad expianda pec-  
cata viuorum & mortuorum: utraque & Confessio & Apologia  
damnat, idque minime ambigue aut obscurè. Similiter inter  
ceremonias distinguimus, quarum aliæ ordini & disciplinæ ser-  
uiunt, aliæ partim impiæ sunt, partim superstitiones. Prioris gene-  
ris ceremoniæ in Ecclesiis nostris refinentur, de quibus Con-  
fessio & Apologia loquuntur: quemadmodum ex illo ipso Apo-  
logia loco à te citato appareat, ubi quid per ceremonias in Eccle-  
siis nostris obseruari solitas intelligatur, exponitur, nempe ordo  
lectio-

*lectionum, orationum, vestitus, & alia similia.* In quibus et si nonnullæ inter initia repurgatae doctrinæ fuerunt, quæ quibusdam visæ sunt aliquid superstitionis Pontificiæ redolere: paulatim tamen illæ obsoleuerunt. Quid autem his ceremonijs, de quibus Confessio loquitur, commune cum vestris illis non solùm ociosis & inutilibus, sed etiam superstitionis ritibus, quippe cum opinione necessitatis, cultus, & meritii coniunctis? En prima <sup>ad ipsas</sup> pœciliis bellū illius Confessioni Augustanæ à me, vt aīs, indicūt disfiliit. Ad alteram dissipandam progrediamur.

**Thesis 87.**

*a. Cor. 14.*

Quod lingua peregrinæ velut Latinæ usum in sacris factendis improbaui, non reprehendo omnem Psalmodiam Latinam in cœtu sacro hodie visitatam, si quidem illa modica sit, & adiunctos habeat alias cantiones lingua populari compositas. Sic enim vtriq; & literati & plebeij adificantur. Quem morem in Ecclesiis nostris obseruari Confessio ait. At pleraq; sacra, & in his quoque mysteria seu Sacraenta lingua peregrina & vulgo ignota peragere, id verò cum Apostolo improbamus: quod nullus inde ad multitudinem redeat fructus. Christus enim itemq; Apostoli vt in doctrina, ita in Sacramentorum administratione lingua usi fuerunt populari & vulgo nota. Cumq; idem Christus Cœnam in sui memoriam celebrari, & Paulus in ea mortem Domini annunciarvi velit: constat linguam peregrinam eam ad rem esse ineptam. Quid? quod in hunc finem donum linguarum olim Apostolis fuit collatum, vt sua cuiq; genti lingua loqui, Euangelijs doctrinam tradere, & Sacraenta administrare possent. Nec perinde vetus est mos ille in sacris lingua Latina utendi, atq; tu asseris. Etenim circiter annum Christi 1200. Innocentius tertius in Synodo generali decreuit, vt Episcopi diuersarum linguarum rituumque gentibus diuina officia & Sacraenta per homines idoneos linguarum istarum peritos administranda curarent. Et Cyrillus Morauorum Episcopus, teste Aenea Sylvio, infaciendo sacro lingua Sclauonica usus fuisse dicitur.

Cic̄itur. Porro quod excipis, quamvis lingua Latina ignota & peregrina sit imperite multitudini: Sacerdotibus tamen, qui sacra faciunt, alijsj literarum peritis nō esse ignotam: respondemus cum Chrysostomo, in Cœnæ actione preces & gratiarum actiones populo cum Sacerdote esse communes, ut verba præcunte Sacerdote, populus respondere possit, Amen. Si communes sunt preces, in quibus non minùs populi, quam Sacerdotis deuotio requiritur: ea lingua enuncientur oportet, quam populus intelligat. Non igitur h̄ic locum habet illa tua comparatio, quemadmodum legatus pro populo regi supplicās satis habet ea vti lingua, quam ipse & rex inteligant: ita satis est, si sacerdos pro populo Deo supplicans lingua sibi nota vtatur. Nam in publicis illis precibus non minùs populi, quam Sacerdotis fides requiritur, quam per verbum lingua vernacula enunciatum accendi atque foueri constat. Ac sanè male cum Ecclesia ageretur, si ex Sacerdotis scientia preces illæ æstimande forent, quando non paucos in eo ordine reperias adeò rudes & linguae Latinæ ignaros, vt quid legant vel orent, ne ipsi quidem intelligent. Quod ais, pro concione sacra, vbi populū de Missâ mysterijs instruitis, vos lingua populari vti: non satis est pro cōcione id fieri, sed in Sacramentorū quoq; administratione vel maximè necessarius est lingua vernacula vſus, quādo populus ad beneficiorū Christi considerationē est excitādus, & mors Domini, vt Apostolus ait, an. nuncianda. Cumq; præceptū Apostoli sit generale, quod ad omnes sacri officij partes pertineat: insulsum fuerit ad solas cōcio- nes illud restringere. Quod affirmas sufficere, si psalmi & hymni lingua peregrina decatati intelligentur ab ijs, qui supplent locū idiotarū, vti sint Sacerdotes, æditui, chorantes, studiosi: id quidē planè contra Apostoli mentē dicitur, cui Implere locū idiotarū, idem declarat, atq; verē idiotā esse, id est, indoctum & linguae peregrinæ ignaram. Differit enim illīc Apostolus contra eos, qui in cœtu sacro linguarum dono ad ostentationē abuterentur, itavt nullusinde

Homil. 18. In  
2. Cor.

Rom. 10.

1. Cor. 11.

1. Cor. 14.

fructus ad multitudinem & idiotas linguarum ignaros rediret.  
 Vbi idiotas, seu (quod idem est) eos qui implet locum idiotarum, Prophetis illis linguarum peritis opponit. Iam si ea fuisset Pauli sententia, nihil obstare, quò minus doctores Corinthiorum in cœtu sacro lingua peregrina vtantur, dum modò aliqui sint inter auditores, qui intelligent, & qui idiotarum loco numeroq; habeantur: quis non videt, Paulinæ disputationis scopum hac expositione euerti? Paulus enim delingua peregrina agite ei, qui implet locum idiotæ, ignota, qui ob id etiam non possit accinere, Amen. At personati illi idiotæ, quos tu ait locum idiotarum supplere, vt sacerdotes & clerici, si tibi credimus, non sunt lingua Latinæ ignari, ac proinde rectè dicere possunt, Amen: quandoquidem quid oretur, aut canatur, intelligent. **Q**uanquam hic mihi videre liberalior erga tuos, quam par est, qui lingua Latinæ usum ædituis quoque & choraulis tribuis, quorum pleriq; neq; natare neq; literas norunt: vt vel horum respectu expediret in cœtibus vestris lingua vernacula vti.

## Thesis 88.

Quòd ad celebrandam in Cœna Christi memoriam & mortem illius annuciandam opus esse dixi lingua populari & vulgo nota: aduersarius responderet, *Sacerdotes suos in Missa sacro memoriam Christi celebrare, nec verbis solum, sed etiam facto, hoc est, sacrificandi actione, gestibus, & uestibus, alijsq; ritibus externis, quos populus intelligat, mortem Domini annunciare.* Nos verò suprà ostendimus, illam sacrificandi actionem institutioni Christi maximè aduersari: tantum abest, vt celebrandæ Christi memoriae seruat. Porrò quemadmodum verbis mortem Domini annunciat, modò est dictum, nempe lingua peregrina, quam populus non intelligit. De uestitu & gestibus mox dicemus. Quòd porrò ait, *populum Cœnam participaturum à Parocho commoneri, idq; lingua vernacula, ut in memoriam passionis & mortis Christi id faciat:* constat, quam non solum frigidæ sint illæ exhortationes vestrae, sed etiam insinceræ & humanarum traditionum fermeto corrupτæ,

tuptæ, dum superstitione exiguntur confessiones, id est singulorum peccatorum enumerationes: dum pro fide in Christum commendantur nostræ satisfactiones & opera: dum de salute sua homines dubitare iubentur. Ita videlicet ad celebrandam in Cœna passionis & mortis Dominicæ memoriam populus apud vos excitatur & præparatur. Quod deniq; negas populum apud vos ferè istis concionibus indigere, vt qui longo iam vñu exploratum habent, quid in Missa agatur, & quo fine Cœna sacra celebretur: vt in m id verè de Coena & legitimo eius vñu. De Missæ autem yestrae sacrificio præstaret populum nihil quicquam intelligere, ne cum superstitionibus istis cōmunicaret. Quanquam constat plerosq; apud vos neq; de Missa neq; de Coena satis exploratum habere.

De obscuro verborum murmure, quo istos in Missa vti Thes. 89. dixeram, respondet, quod clara voce in Missa verba omnia pronun- & 90.  
ciari debeant, nec Christi, nec Apostolorum, nec veteris Ecclesiæ exem-  
pto demonstrari posse. An tu igitur sentis, Christum in prima Cœ-  
na verba sua ita mussitasse, vt ab Apostolis neq; exaudiri nec in-  
telligi potuerit? Contrarium docent Euangelistæ, qui cùm nar-  
rent, Apostolos in Cœna ea fecisse, quæ Christus iussit: necesse  
est Christum claro & perspicuo sermone ad illos vsum fuisse.  
Aut doceat nos aduersarius, quænam sint illa verba, quæ Christus in Cœna tacite demurmurauerit. Idem cùm in Cœna sui  
memoriam velit celebrari, quod Paulus de mortis Dominicæ  
annunciatione interpretatur: constat eam ad rem opus esse clara  
voce, quam omnes intelligent. Ac veterem Ecclesiam in Sa-  
cramentorum actione claro & perspicuo sermone vnam fuisse,  
vel ex eo apparet, quod in Cœnæ mysterijs populus ad preces &  
gratiarum actiones, quas omnes exaudire poterant & intellige-  
re, respondere consuevit, Amen. Vnde Augustinus ad Orosium  
quæst. 49. Qualem clamorem, inquit, faciat uniuersa Ecclesia, dum  
potatur sanguine Christi, & dicit, Amen: tu ipse si potes, cōsidera. Qua  
de re extat sanctio Iustiniani, qua Sacerdotibus & presbyteris <sup>In Nonellis 123.</sup>

Enseb. His.  
Eccle. lib. 7.  
cap. 9.

seuerē edicitur, vt cūm in alijs ministerij partibus, tum verō in Sacmentorum administratiōne clara voce, quæ à populo exaudiri possit, vtantur. Quem morem etiam nunc Orientales Ecclesiæ obseruant, vbi verbi minister verba illa clara voce pronūciare dicitur, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

Rationes verō quas hoc loco adfers, quām sunt ridiculæ? Christum ideo primam Cœnam excluso populo, celebrare voluisse, ut ostenderet, *Sacmenta vel secreta Missæ non esse pandenda quibusvis.* Tūne existimas, Christum Cœnam tuam similem voluisse Eleusinijs sacris, quæ remota hominum frequentia noctu sub terra clām celebrari solebant? Idem cum Apostolos iuberet in posterum facere, quod ipse prior fecerat: num Cœnam post-hac inter solos Apostolos, excluso populo, celebrari voluit? Quin potius cūm Cœnam constet in vsum totius Ecclesiæ à Christo institutam esse, in qua Christus clara voce & perspicuo sermone discipulos allocutus fuit: quis dubitet, illius exemplo Cœnam ita nobis celebrandam esse, vt quid in ea agatur, populus intelligat? Eiusdem momenti sunt cæteræ rationes tuæ. *Christum cūm sacrificium cruentum ageret, pauca tantum verba tribus horis, quibus in cruce pependit, eloquutum fuisse.* Item: *titulum cruci inscriptum fuisse Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Ex quo concludis, Missæ mystèria sub silentio peragenda esse, idq[ue] tribus illis linguis, quas diximus. Sed quis non videt, nullam esse argumenti huius connexionem? Nec fidei ἀνάστασις est illa tua allegoria. Quod tribus illis linguis, *Latīna, Græca, & Hebraica,* toto Orbe diuinæ celebrata fuisse officia aīs, concedo, sed non nisi apud gentes linguarum istarum peritas. Quis enim credat, Apostolos apud Scythas aut Indos linguarum istarum ignaros Latinè aut Græcè fuisse concionatos? Imò ne apud Hebræos quidem Græcè aut Latinè, sed Hebræicè docuissé patet, Acto. 21. & 22.

Thef. 91. 92.  
& 93.

Superstitionem vestimentorum, quibus in Missa Pontificij

ficij vtuntur, reprehetido. Respondet aduersarius, *representans  
de passione Christi, commone faciendo populo, & conciliandæ reveren-  
tie illa seruire.* Malè igitur cum veteri Ecclesia actum, quæ in Cœnæ celebratione tot tāmque varijs vestimentis caruit: sed omnia simplicissimè administravit. Quæ simplicitas postquam Episcopjs Romanis sordere cœpit, inter cæteros Missæ ritus illam vestitum pompam in Ecclesiam inuixerunt, sine qua Missam ritè peragi negant. Quem vestitum etsi initio nonnullæ Augustanae Confessionis Ecclesiæ in Cœnæ actione retinuerunt: liberè tamen & sine superstitione id factum est. Et quam tu nobis hoc loco vmbram cœlestium honorum narras? quod item velamen, sub quo Christum nobis adhuc apparere ait? Constat enim ceremonias Mosaicas ab Apostolo vmbrae & velo comparari, Hebr. 8. & 10.  
2. Cor. 3. quæ orto iustitiæ Sole Christo, dudum euanuerunt. Et velum templi scissum est, Luc. 23. Quòd si adhuc velatum est Euangeliū, inquit Apostolus, in his qui pereunt, velatum est. Caueendum igitur, ne ~~excoenam~~ quadam nescio cuius pedagogia, ceremonias Mosaicas Christi aduentu abrogatas postliminiò in Ecclesiam noui Testamenti reducamus: quomodo constat doctores vestros in explicandis ritibus illis ad ceremonias Mosaicas subinde alludere. Nec verò nos omnem vestitum sacrum damnamus: sed cùm modum in eo requiri mus, tum superstitionem ab eo volumus abesse. Idem iudicium est de gestibus, quos cùm grauitas deceat rebus sacrī digna, pleriq; tamen, quos in Missa usurpati, non solùm ociosi sunt, sed etiam ridiculi. Neque enim eos solùm gestus, quos tu enumeras, vt consignationem crucis, genu flexionem, manuum elevationem, & similes vobis visitatos esse contat: sed alios quoque, quorum nullum è iacris literis exemplum proferri potest, & quos elegant hypotyposi expressit in historia sua Iohannes Sleidanus. Quid? Lib. 22. quod gestus illi magna ex parte eiusmodi sunt, vt Cœnam in actionem planè diuersam transforment.

Thesis 94.

Apostolos dixi Cœnam Domini simplicissimè, adhibita  
solūm oratione Dominica, celebrasse, idq; vel ipsis Scriptoribus  
Pontificijs attestantibus. Respondet aduersarius, *et si initio Apo-*  
*stoli adhibita solūm oratione Dominica celebriarint Missæ Sacrifici-*  
*um: tamen postea multa alia adiunxit.* Primū nego Apostolos  
Missæ Sacrificium, quale Pontificijs in vsu est, vnquam celebras-  
se. Deinde doceat nos aduersarius, quānam sint illa multa alia ab  
Apostolis postea Cœnæ administrationi adiuncta: idque ex Ca-  
nonicis eorundem scriptis. Nam quod ex Chrysostomo assert,  
orationem pro defunctis in sacrificio Missæ esse ex Apostolica traditio-  
ne, eadem facilitate rejicitur, qua probatur. Ac Chrysostomo op-  
ponimus autoritatem Tertulliani, qui disertè negat, orationes  
pro defunctis è Scriptura manasse: sed inter eas refert ceremonias,  
quarum libera est in Ecclesia obseruatio. Ad Pauli locum  
quod attinet, concedo, veteri Ecclesiae fuisse receptum, vt in  
Cœnæ actione obsecrations & orationes fierent pro omnibus homi-  
nibus. Quid autem illæ ad cæteros Missæ yestra ritus, de quibus  
modò diximus.

In epist. ad Phi-  
lip. Homil. 3.De corona mi-  
litis.

1. Timo. 2.

Thes. 95. 96.  
& 97.

Ex collatione rituum, quibus veteres vñ fuerunt in Cœ-  
næ celebratione, & quibus hodie Pontificij in Missâ vtuntur,  
ostendi, magnam esse vtrorumq; dissimilitudinem, atq; adeò  
veterum ritus diuersissimos fuisse à theatrico illo ceremonia-  
rum apparatu Pontificijs hodie recepto. Vbi aduersarius, *Doce-*  
*nos primum, inquit, qui sit theoricus ille ritus Pontificiorum, & tu-*  
*te veterum exemplis renuncemus.* Quasi verò cuiquam, qui modò  
Missæ celebrationi interfuit, ignotus esse possit magnificus ille  
ceremoniarum apparatus, ludorum spectaculis, quam actioni  
Cœnæ conuenientior. Eum tu mihi ex syncretiore Antiquitate,  
velut Iustino, Irenæo, Cypriano, & Augustino, si potes, demon-  
stra: & veterum exemplis me conuictum fatebor. Quanquam  
hic sibi diffidens aduersarius concedit, *pauciores ritus primis illis*  
*Ecclesiæ renascentis temporibus usurpatos fuisse.* Et meritò. Viderunt  
enim

Enim sancti viri in administratione Sacramentorum simplicitati Apostolicæ tutò insisti posse. Quorum exemplum si successores Episcopi sequuti fuissent, minùs superstitionum hodie in Ecclesia haberemus. Vanissimum igitur est, quod aīs, *ad excitandam promouendamq; populi pietatem ritus illos conducere.* Cōstat enim ceremoniarum multitudine opprimenti potius, quām excitari pietatem, dum animi externis illis rituum humanorum spectaculis intenti, de ipsa Sacramentorum actione diuinatus instituta & eius fine vñsq; minùs cogitant.

*Quòd negas peccasse Pontifices Romanos, qui paucis quibusdā ritibus non substantiam, sed ceremonias Missæ pie salubriterq; auxerint, respondeo, cūm ipsa Missæ substantia, quatenus Sacrificium à vobis fingitur propitiatorium, vitiosa sit & impia, vt suprà ostendimus: accidentia quoq; eius, id est, ceremonias Missæ sacrificio seruientes vitiosas & impias esse necesse est: ac proinde grauiter peccasse Pontifices Romanostum sacrificij illius Missatrici tum eiusdem ceremoniarum authores.*

De Canone Missæ ago, quem velut animam esse Missæ, & Thesis 98. erroribus scatere dixi. Contra antagonista Canonem animam Missæ esse negat, *quòd maxima eius pars non ad substantiam, sed ad ritus Missæ pertineat.* Primiūm igitur cūm suis transigat, qui Canonem ad Missæ consecrationem adeò necessarium esse contendunt, vt qui eum omittant, ijs in Coena præter panem & vinum nihil reliqui fiat. Nam ritus ad Missæ substantiam absoluē necessarios esse aduersarius modò negauit ad superiorē thesis 97. De erroribus, quibus omni ex parte Canonem liberat, mox videbimus.

Canonis authores Apostolos esse negauit, idq; suffraganti- Thes. 99. 100. bus Pontificijs Scriptoribus. Aduersarius verò illum Apostolicæ<sup>101. 102. & 103.</sup> traditionis beneficio ad nos peruenisse ait, idq; probat ex Liturgia B. Iacobi Apostoli, constitutionibus Apostolicis Clementis Romani, Dionysio Areopagitā, Isidoro, alijsq; patribus. At qui non omnia sunt:

sunt vel Iacobi Apostoli vel Clementis Romani scripta, quæ il-  
lorum nomine circumferuntur. Constat enim multa esse no-  
tha & supposititia, à superstitionis Episcopis conficta, qui ut com-  
mentis suis fidem authoritatemq; conciliarent, Apostolicarum  
traditionum titulo illa venditarunt. Nam quid Apostoli de Sa-  
cramentorum administratione tradiderint, ex authenticis ipso-  
rum scriptis liquet: quibus consentanea, non contraria, fuerunt  
ea, quæ viua vōce tradidērunt. Exemplo sunt Canones Aposto-  
lici, qui ab eodem Clemente Romano versi dicuntur: qui non  
pauca continent doctrinæ authenticis Apostolorum scriptis  
comprehensæ contraria. Vnde ab Isidoro inter apocrypha, imò  
inter hæreticorum commenta numerantur, referente Gratia-  
no. Dionysium verò authorem libri de Ecclesiastica Hierarchia,  
non esse Areopagitam illum Pauli auditorem, vt tu affirmas,  
doctissimi quiq; viri iudicarunt, quorum ea de re extant centu-  
rae. Qui quidem Dionysius ritum administrandæ Cœnæ suo se-  
culo receptum describens, precū quarundam meminit, sed quæ  
à Missæ vestræ Canone multùm distant. Quod Isidorum aīs ora-  
tiones in Missæ Sacrificio vobis visitatas Petro Apostolo authori  
tribuere: Platina contrā Petrum simplicissimè Cœnam Domi-  
nicam, adhibita solū oratione Dominica, celebraſſe testatur.  
Idem cæteros Apostolos factitasse Gregorius Magnus Pontifex  
Romanus refert. *Mos fuit Apostolorum*, inquit, *vt ad ipsam solum-*  
*modo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.* Quid?  
quod idem Gregorius affirmat, Canonem à quodam Schola-  
stico paulò ante sua tempora fuisse compositum. Quæ igitur  
tanta est Canonis vel antiquitas vel authoritas? Quod Orige-  
nem, Basiliū, & Augustinū objicis, qui item Missæ ritum ad  
Apostolicam referant traditionem: vt maximè demus (quod doce-  
ri non potest) ritum administrandæ Cœnæ id temporis rece-  
ptum ab Apostolis fluxisse: quorsum hoc ad theatralem illam  
ceremoniarum pompam hodie in Missa vestra visitatam, quam  
constat

In Decret. di-  
cīct. 16.

Lib. de dominis  
officijs cap. 15.

Platina in vita  
Sixti primi.

Gregor. in Re-  
gistro lib. 7. cap.  
63.

Constat Origeni, Basilio, & Augustino fuisse ignotā? Neq; enim sequitur, si in Canone quædam precum formulæ ex Antiquitate desumptæ leguntur, idcirco totum Canonem, qualis hodie est, Antiquitati acceptum ferendum esse. Cumq; has ipsas veterum preces, quas Canon vester habet, in alium torqueatis sensum: frustrè Canoni autoritatem ex Antiquitate quæritis. Quòd ex Augustini regula, *qua toto terrarum Orbe obseruantur & obseruata sunt, ut origo non inueniatur, ea ex Apostolica traditione manasse*, probare conaris, Apostolos Canonis fuisse authores: primum demonstres velim, Canonem hodie vobis vistatum vel toto Orbe obseruatum fuisse, atq; etiam nunc obseruari, vel ignorat esse originis. Neq; enim Iustini, Irenæi, & Cypriani temporibus in vīs fuit, quos constat longè dīversis ritibus in actio-ne Coenæ vīlos fuisse. Tum quoq; diuersissimæ sunt Liturgiæ, quæ Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Isidoro, & Gregorio trībūantur. Cumq; authorem Canonis fuisse quendam Scholasticum Gregorius affirmet, vt modò diximus: vtique origo illius non ignoratur.

Nonnullos Canonis errores attingo: ac primū quòd Sa- Thes. 104.  
cerdos orat, *ut Deus accepta habeat & benedicat hæc dona, hæc mune-*  
*ra, hæc sancta sacrificia illibata, quæ illi offerat pro Ecclesia eius sancta.*  
105. & 106.  
Vbi absurdum, imò impium esse dixi, panem & vinum res vide-  
licet terrenas (Nam ante consecrationem hæc à Sacerdote di-  
cuntur) pro salute Ecclesiæ Deo offerre. Respondet aduersarius,  
panem & vinum ideo Sacrificia dici, quod materia sint sacrificij  
illius, quod in Missa offertur, & iam dedicata in vīsum diuinum, atq;  
ad eō consecranda in corpus & sanguinem Domini. Quis vērō non  
videt, hæc ordine præpostero geri, panem & vinum nondū  
in corpus & sanguinem Christi conuersa (si verum est, quod de  
transubstantiatione docent) Deo offerri, idq; pro Ecclesiæ sa-  
lute? Porrò quām ineptum est, quod vetus Ecclesia de munēri-  
bus in vīsum pauperum oblatis sub Coenæ actionem precari so-  
lebat,

Iebat, id abolito illo munerum ritu, ad Missæ Sacrificium transferre. Adhæc oblatio illa munerum olim à populo facta, impro priè Sacrificium dicebatur, non minùs quām agnus ille à populo in Sacrificium oblatus, cuius exemplum è Leuitico profers. Non enim à materia, sed à forma sacrificium denominatur. At eam, quæ in Missa à Sacerdote fit, oblationem, sacrificium esse propriè dictum contenditis. Aut igitur illam iurę Canonis corrigite: aut Missam non omni ex parte Sacrificium esse propriè dictum agnoscite.

**Thesis 107.** Quòd Sanctorum inuocationem Canone Missæ dixeram contineri, aduersarius negat ullum sanctum directè in Cau ne inuocari, sed Deum tantum: ut intercedentibus sanctis nobis adf se velit. At cur non intercedente Christo Pontifice & Mediato re nostro, cuius vnius intercessionem & meritum nobis sufficie retum ad reconciliandum Deum, tum ad reconciliationis illius vim per verbum & Sacraenta nobis applicandam Scriptura docet? Porrò quemadmodum in Missa sancti à vobis in uocentur, suprà thesibus ss. 83. 84. & 85. est dictum. Nec valet consequutio tua, si sancti in coelis pro nobis orant (id quod no stros quoq; fateri ais) idcirco nobis esse inuocandos.

**Thes. 108.  
109. & 110.** Inter cætera hoc quoq; in Canone reprehendi, quòd corpus & sanguis Christi cum sacrificijs Abelis, Abrahami, & Melchizedeci comparantur, & quòd sacrificulus orat, vt Deus non minùs illa, quām hæc grata habeat. Quam comparisonem si mul & orationem impiam esse dixi, corpus & sanguinem Christiū ab aliis veterum Sacrificijs exæquari. Antagonista verò negat, Sacrificium corporis & sanguinis Christi cum veterum sacrificijs à se & suis exæquari: sed sacerdotem tantum rogare ait, vt Deus per hoc Sacrificium nobis propitijs esse velit, sicut patribus illis propitijs fuerit per sacrificia, que huius typum gesserint. Atqui verba Canonis eam, quam dixi, sententiam præ se ferunt. Et vt cunque mitigentur, impia certè est precatio, qua Sacerdos petit, ut Deus acce-

*acceptum habere dignetur corporis & sanguinis Christi sacrificium, sicut sacrificium Abelis & Melchizedeci: perinde quasi corpus & sanguis Christi Deo non forent grata, nisi intercedente Sacrificuli precatione. Nec est, quod excipiat aduersarius, distinguendum esse inter rem oblatam, id est, corpus sanguinemq; Christi, & ipsam offerentis Sacerdotis actionem. Illam per se Deo gratam esse: hanc verò non item: quod in Sacerdote offerēte aliqua hærente imperfectio possit. Hinc enim sequeretur, Missæ sacrificium à Sacerdotis offerentis qualitate pendere: qui error olim Donatistarum de Sacramētis fuit. Et ipse tu suprà ad thesin 48. negasti, Missæ sacrificium ex opere operantis ministri boni vel mali vim sum habere. Deinde cùm Missæ sacrificium vnico Christi Sacrificio semel in cruce oblatō aduersetur, vt suprà ostendimus: impium fuerit petere, vt per illud Deus nobis propitius esse velit. Ac vide, quām longè à Pharisaismo absit, quod affirmas. Deum patribus veteris Testamenti per sacrificia ipsorum propitium fuisse. Non enim sanguis taurorum & hircorum expiare peccata potuit, sed fide in Christum patres illos seruatos fuisse, Petrus testatur. Et fide vberiorem hostiam Abel Deo obtulisse dicitur, quām Cain. Quem Christum eiusq; Sacrificium semel in cruce oblatum, non Missaticum vestrum sacrificium, legalia illa veterum sacrificia adumbrarunt.*

Heb. 10.  
Acto. 15.  
Hebr. 11.

Porriò ex eo quoq; apparet, quām malè consutus sit Ca. Thesis III., non ex precum quarundam, quæ apud veteres leguntur, formulæ in sensum alienum detortis. Etenim in ea, quæ Basilio tribuitur, Liturgia Sacerdos super munera oblatione in usum pauperum à populo facta ita orat, *vt Dominus hoc incruentum sacrificium* (munera illa designans) *acceptum habeat, sicut suscepit munera Abel, sacrificium Noë, holocaustum Abraham.* Quæ verba si ne ordine Canoni inserta, post consecrationem nunc recitantur, & ad corpus & sanguinem Christi perperam traducuntur.

Eiudem vesaniæ esse dixi, quod Canon orat, vt Deus iu-

beat Christi corpus per manus Angeli sui perfserri in sublimo altare suum, & in conspectu suo sisti: cum Christus in Cœlum ingressus semper appareat in conspectu Dei. Respondet aduersarius, non de te oblata, sed de actione & oblatione Sacerdotis, itemque precibus eius haec esse intelligenda. At verò cum post consecrationem ista à Sacerdote dicantur, & pronomen demōstrandi haec potissimum corpus & sanguinem Christi intendat, quis non dere oblata potius, quam de actione Sacerdotis offerentis ista dici intelligat? Et quotusquisq; est sacrificiorum, qui hanc aduersarij glossam teneat? Imò cum oblatio sit rei oblatæ oblatio, rem oblatam actione Sacerdotis offerentis utique includi necesse est. Evidem fateor, olim hanc precan di formulam in Eucharistia usurpatam fuisse de precibus, itemq; munereum oblatione, quibus pauperes reficiebantur, quemadmodum ex Irenæo apparet. Sed ut aliae precum particulæ ex Antiquitate desumptæ, quæ in Canone leguntur: ita haec quoq; abusu est deformata.

Lib. 4. cap. 14.

Thes. 112. & 114.

Iohann. 3.  
Rom. 5.

Quæ de precibus pro defunctis in Canone dicuntur, ut qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, & quiescent in Christo, ijs Dominus locum refrigerij, lucis, & pacis indulgere velit, auctoritate esse dixi. Qui enim in fide dececerunt, & iam nunc beata quiete fruuntur, quid attinet pro ijs orare, ut eis locus indulgeatur refrigerij & pacis. Aduersarius verò haec auctoritate negat, quia cum tota Antiquitate bellissimè constent. At quoniam cum diuinis literis pessime constant, auctoritate esse dicimus. Scriptura enim Sacra Canonica docet, eos qui in Christum credunt, non venire in iudicium, sed per mortem transisse in vitam. Et Paulus, iustificati fide, inquit, pacem habemus erga Deum. Quod si omne iudicij atq; poenarum discriminem effugerunt, adeoque pace fruuntur fideles, postquam ex hac vita excecerunt: nullis vtiq; tormentis excruciantur. De Iacobi Apostoli & Clementis Romani authoritate, quam hoc loco citas, dixi.

diximus suprà thes. 99. non omnia esse illorum Scripta, quæ hoc nomine à Pontificijs venditantur. Porrò quo consilio veteres primùm nomina martyrum commemorauerint in Eucharistia actione, deinde & preces pro defunctis conceperint, quæ insecuris seculis abierint in superstitionem, ac proinde in nostris Ecclesiis optimo iure fuerint abrogatae, suprà thesib. 53. 54. 55. & 56. exposuimus. Deniq; è sacris literis Canonicis doceat nos aduersarius ignem suum purgatorium & animarum in eo lustrationem. Nám patrum authoritatem nullo Scripturæ fundamento subnixam nihil moramur, cùm patres ipsi in religionum controversiis ad Scripturas Canonicas prouocent, & haec tenus fidem sibi haberi velint, quatenus doginata sua Scripturæ Canonicae authoritate confirmant.

Sed operæ pretium fuerit audire τὸν ἀντίτονον, quæ dixi, solutionem, quam aduersarius affert. Nam existentes in purgatorio, inquit, licet pacem & quietem habeant in Christo, quatenus certi sunt & securi de salute eterna: tamen nondum pacem habent à tormentis, & desiderio visionis divinae. Et quæ, oblectro, illa est pax & quies, quæ item salutis securitas, quæ tantis inquietatur & infestatur tormentis, quorum magnitudo omnes poenas & cruciatus, quos vñquam quisquam in hac vita perpesius sit, longè vincat, & quæ ab igne infernali non nisi duratione differant, si Doctoribus vestris credimus? Contrarium testatur Scriptura. Iustorum animæ (inquit Sapientia) in manu Dei sunt, nec tangit eas tormentum. Et Paulus consolaturus fideles, ne fratrum suorum obitum ægrius ferant, vetat, ne doleant, adductis rationibus consolationum plenis. At grauis dolendi causa erat, si defunctorum animæ tam diris torquentur cruciatibus. Beati prædicantur mortui, qui in Domino moriuntur: Amodò dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Idem confirmant exempla Lazarī & latronis, quorum illius anima corpore soluta restat in sūnum Abrahæ ab Angelis deportatur: hic verò à Christo audit,

Augustinus lib.  
1.de morib. Ecel.  
Cathol. cap. 7. &c  
epist. 7. 45.

Sap. 3.

1. Thes. 4.

Apoc. 14.

Luc. 16. 8. & 24.

Hodie mecum eris in Paradiso. Qui certè latro, si quisquam ali-  
us, cum primis opus habuisset igne illo purgatorio ad eluendas  
vitæ anteactæ maculas, si quidem ignis ille esset. Augustinus etsi,  
vt suprà dixi, quæstionem hanc variè disputat: nonnullis tamen  
in locis Scripturæ auctoritate victus, disertè medium locum es-  
se negat, vbi animæ à peccatis purgentur: quemadmodum sen-  
tentia illius suprà à nobis citatae testantur. Quibus Scripturæ te-  
stimonij certò persuasi putidissimas esse fabulas affirmamus,  
quæ de igne purgatorio à vobis traduntur. Cedò verò, quænam  
sunt illæ Scripturæ, ex quibus vestros solidissimè ignem purgato-  
rium tradidisse ais? Neq; enim nullum Scripturæ locum profers,  
quo id confirmes. Non igitur calumnia, vt tu ais, sed verissimum  
est, quod dixi sacrificulos ex Missa quæsum facere, dum homi-  
nibus falso persuadent, Missarum spectaculis animas defuncto-  
rum, quæ igne purgatorio crucientur, iuuari. Constat enim vel  
unum hoc ignis purgatorij commentum fouendæ culinæ ve-  
stræ potissimum seruire: quæ ne quando frigescat, ignem illum  
tantopere fouere, & sopitum uspiam atq; extinctum suscitare  
studetis, vt hic non tam pro aris, quam focis vestris pugnetis.  
Neq; hic de abusu, sed de re ipsa loquimur.

## Thesis 115.

Quod dixeram, complura alia errorum portenta Cano-  
ne Missæ contineri: ac proinde vanum esse Synodi Tridentinæ  
elogium, Canonem Missæ ab omni errore purum pronuncian-  
tis: aduersarius me fabulari ait. Sed extant Theologorum no-  
strorum de Canone Missæ censuræ, & iustæ errorum refutatio-  
nes. Extant & ineptissimi Doctorum vestrorum in Missæ Ca-  
nonem commentarij, quibus ἐνθαρρύνεται & doversatur illius concilia-  
re & pingere frustra laborant. Quorū similes sunt tuæ illæ, quas  
modo vidimus, explicationes.

## Thesis 116.

Missam dixi verè neruum esse omnis idolomaniaæ Pon-  
tificiæ,

tificiæ, atq; adeò Deum illum Mausim, qui tanto sumptu colatur in Papatu, tantisq; præsidijs propugnetur, secundum vaticinium Danielis. Quæ quidem aduersarius inuertens & in nos <sup>Danielis.</sup> retorquens *Missam verè nerum esse ait religionis Catholice.* Si Catholicam religionem intelligis eam, quam Apostoli nobis literis prodiderunt, & vera Ecclesia quoquis tempore amplexa fuit: nihilomagis Catholica est Pontifica religio, quām auri sacra famēs. Constat enim illam in plerisq; doctrinæ partibus ab Apostolica doctrina ~~discrepare~~ <sup>discrepat</sup> à *πατέρων* discrepare. Similiter in Sacramentorum administratione quantum ab Apostolica distet, vel unum Missæ sacrificium, de quo hactenus egimus, satis testatur. Porrò quod de Deo Mausim in nos retorquet, *quem tanto sumptu coli ait in Lutheranismo*: per quām ridiculum est. Quis enim sanæ mentis homo non videt, quantūm à sumptu & luxu absit simplex illa Sacramentorum administratio Ecclesiis nostris recepta? quæ si cum Pontificiorum splendore & magnificentia plusquām regia Missarum celebrationi adhiberi solita comparetur, non unius assis æstimetur, si ritus externos, non autem Sacramenta in se spectes. Quod si quis dubitat, in utros verius, nōcne an Pontificios, quadret illud Danielis de Deo Mausim & eiusdem cultore Antichristo vaticinum: legat Doctoris Lutheri commentarium super 12. caput eiusdem Prophetæ, Germanicæ Bibliorum insertum: ubi ex collatione notarum, quibus Antichristum eiusq; religionem Daniel illuc describit, & ipsius euentus ante omnium oculos positi Lutherus evidenter demonstrat, Pontificem Romanum esse Antichristum illum, & Missam Pontificiam esse idolum illud Mausim, de quo Daniel sub typo Antiochi est vaticinatus. Quæ tu cum yniuersa caterua tua nunquam refutaueris.

Cùm igitur tot ac tantæ insint in Missa superstitiones, gra- <sup>Thesis 117.</sup>  
uiter peccare dixi eos, qui hodie in tanta Euangeliū luce emolu-  
menti

Iohan. 5.

menti sui causa Missæ vel intersint vel præsint. Hic verò ringit  
 tur aduersarius, & dissimulata, quam initio professus fuerat, mo-  
 destia, doctrinæ & Sacramentis nostris atrox conuitum facit,  
 doctrinam nostram nouum Euangelium, & lucem illius tenebras  
 appellans. At quo iure nouum vocas Euangelium, quod idem  
 prorsus agnoscimus & profitemur cum eo, quod Prophetæ &  
 Apostoli nobis prodiderunt, & quod superiorum temporum in-  
 iuria, inuectis in Ecclesiam varijs erroribus & superstitionibus,  
 obscuratum, extremo hoc seculo singulari Dei beneficio reni-  
 tuit? Noua certè non est hæc nostra de Cœna doctrina, quam  
 haftenus exposuimus: sed vetus illa à Christo, Euangelistis, &  
 Apostolis tradita. At noua est vestra de Missæ sacrificio pro viuis  
 & mortuis offerendo doctrina: noua est & veteri Ecclesiæ igno-  
 rata vestra illa Cœnæ mutilatio: noua Sacramenti circumgesta-  
 tio: noua inuocatio sanctorum: nouum ignis purgatoriij com-  
 mentum: aliaq; infinita noua, quæ à vobis traduntur. Quos qui-  
 dem errores vestros nostri tanta doctrinæ luce & perspicuitate  
 confutarunt, vt vel à cæcis agnoscantur. Nec mirum, si à vobis  
 obstinati Euangelij hostibus non agnoscuntur: cùm ea sit  
 Euangelij natura, vt cæcos illuminet, & videntes excæctet. Quòd  
 Cœnam nostram vocas profanam, in qua præter panem & vinum  
 nihil apponatur: calumnias tuas nihil moramur; nisi profanum  
 esse demonstres, Cœnam ex Christi præscripto & veteris Eccle-  
 siæ more celebrare. Porrò Missam vestram non solum profa-  
 nam, sed impiam quoq; esse demonstrauimus. Quòd de timore  
 principum secularium objicis, quo nonnullos apud nos moueri  
 ais, vt Cœna Lutherorum, quam vocas, intersint: cantilenam  
 istam tuis occine Catholicis principibus, qui à vobis furijs inci-  
 tati pios Missam vestram auersantes igne & ferro persequuntur.  
 Nostri certè magistratus neminem vel ad Cœnam participan-  
 dam vel religionem nostram amplectendam vi cogunt. Vestra  
 hæc est & Pontificum vestrorum tyrannis. Idem sentiendum de  
 queſtu,

*questu, cuius causa nos vos a Cæne apud nos vel interesse vel praesse.*

*Qui certè nullus apud nos esse potest: nisi fortè quæstum appellat  
legitimum stipendum, quod verbi ministris ab Ecclesia de-  
beri Paulus affirmat. At vos cùm omnem religionem, tūm ve-  
rò Missam in turpem conuertisse quæstum ac nundinationem,  
orbis nouit.*

1. Cor. 2.

*Quin etiam hereticos & ubiqüistas crepat. Nos verò nullius neq; conscij nobis sumus nec à vobis conuicti hæresecos. Si namque ad intentandum hæresecos crimen accusasse sufficiat; neq; Prophetæ neq; Apostoli, itm neq; Christus ipse, innocentes fuerint. Vos autem innumerabiles tueri hæreses nostras non uno scripto demonstrarunt. Quod nos odioso nomine ubiquistarum grauas, si per ubiquitatem intelligis portentosam illam carnis Christi cum diuinitate coextensionem (quæ extensio ne in diuinitatem quidem cadit) scito, nos eiusmodi ubiquitatem ex animo detestari. Alioqui maiestatem diuinam Christo homini ad dextram virtutis Dei electo reuera communicatam, quam sacræ literæ tradunt, absit ut inficiemur.*

Thesis 113.

*Ad extremum voto nostro, quo Deum proconservanda apud nos & ad posteritatem propaganda doctrinæ Cœlestis lucceoramus, aduersarius suam *Sororiarum & xeniarum* opponit, qua erores suos *lucem, doctrinam nostram tenebras,* nos verò *hereticos Antichristi satellites* appellans, Deum orat, ut religionem Pontificiam conseruare, & in totam Germaniam, extinctis omnibus erroribus, rursum propagare velit. Quas illius imprecations irritas fore non dubitamus, iuxta illud Psalmi: Maledicant illi, tu psal. 109.  
benedices. Longè enim errat cum viuuerso sodalitio suo aduersarius, si existimat, Antichristum Romanum Spiritu oris Domini iam pridem confici cœptum, collapsas regni sui vires in Germania instaurare posse. Cecidit, cecidit Babylon illa Apoc. 18.*

O

magna

OCN 556665699